

Digitized by Google

<36605243520010

<36605243520010

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Würdtwein

~~[illegible]~~

J. can. p.
1168 — 10

Digitized by Google

NOVA
SUBSIDIA DIPLOMATICA
AD
SELECTA JURIS
ECCLESIASTICI
GERMANIAE
ET
HISTORIARUM CAPITA ELUCIDANDA
CONGESSIT ET EDIDIT
STEPHANUS ALEXANDER WÜRDTWEIN
EPISCOPUS HELIOPOLENSIS SUFFRAGANEUS WORMATIENSIS.

TOMUS DECIMUS.



HEIDELBERGAE,
SUMTIBUS TOBIAE GOEBHARDT,
MDCCLXXXVIII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

Cum in Diplomate quodam *Bertholdi* inferius allegando dicatur, quod ſuum Majeſtatis Sigillum *) adponi juſſerit, de hoc pauca duximus praemittenda.

 Sigil-

*) *Sigillum Majeſtatis.* Majeſtas eſt Imperatorum & Regum titulus proprius. Eundem nihilominus ſummis Pontificibus (a) Archiepiſcopis (b) Epiſcopis (c) imo & *Hugoni* Campaniae comiti (d) in uſu fuiſſe, teſtantur ſcriptores.

(a) In ep. *Caroli Calvi* ad *Nicolaum I.* PP. in Concilio an. 867. In epiſtola concilij Viennenſis an. 1112. ad *Paſchalem* PP. apud S. *Anſelmum lib. 2. ep. 33. lib. 4. ep. 46. 94. joann. ſarisber. ep. 10. 11. 14. 28. 29. &c.* interdum *Majeſtatis Apoſtolicae* titulo utitur *ep. 27. 28. 40. 89.* S. *Bernardus* ep. ad *Eugenium* PP. 261. edit. *Mabillon.* clerus Trevirenſis ad *Innocentium II.* = Majeſtatis igitur tuae provoluti pedibus . . . quaeſumus & obteſtamur =. vid. *Brower. lib. XIII. n. 104. ad an. 1131.* &c.

(b) *Arnulfus* Lexovienſis ep. 15.

(c) *Dudo* in praef. ad acta Normannor. *Arnulphus* ſagienſis Archid. *Tom. 2. ſpicileg. Acher. p. 537.* Eundem ſibi titulum arrogat *Bruno* Lingonens. Epiſc. epud *Perardum pag. 67.*

(d)

Sigillum Majeſtatis ſeu majus Imperatoris ſigillum, in quo cum Imperatoria aut Regia Majeſtate exprimitur; Imagines Imperatorum, Regum ac Principum integrae & ad ſummam Majeſtatem compoſitae exhibentur, nempe: corona tectae, throno inſidentes, ſceptrumque & globum terreſtrem manibus tenentes aut alia Majeſtatis ac potentiae inſignia prae ſe ferentes. Notari hic meretur, quod *Schmid in Diſſert. de Numo Cathedratico* ait: = In numis bracteatis nihil frequentius eſt, quam ut perſonae vel ſeculares vel Eccleſiaſticae inſideant vel ſellae vel arcui ſive ponti inter duas turres poſito ad indicandam *Majeſtatem.* Confer. *Ludevvig einleitung zum teutſchen Müntzvveſen* p. 108. Advertit *Heinneccius de ſigillis* p. 76. ſq. & *Nouveau Traite de Diplom.* T. IV. p. 14. ſq. quod Principes ſigillis Majeſtatis ſive Majeſtaticis in rebus potiſſimum feudalis uſi fuerint. Uſus iſte in Feudorum Moguntinorum conceſſione adhuc hodie obtinet. Unde *Majeſtaet-brieff*, ejusmodi ſigillo munitae litterae appellantur. ita *Freherus ad Petrum de Andlau lib.* 2. *c.* 6. *&c.*

Sigillorum Majeſtatis antiquitas ad ſeculum uſque decimum pertingit, ubi *Otto III.* Imp. an. 999. hac ſubſcriptione uſus eſt: *Manu propria*

(d) Titulum hunc uſurpavit in litteris, quibus coenobio S. *Remigij* res quasdam concedit in curte-Auſorum; quas litteras *Majeſtatis*, ait, *noſtrae ſigillo conſignari feci. Mabillon, Diplom. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 6.

pria ſubſirmavimus & aurea bulla noſtrae Majeſtatis communiri praecepimus. apud *Margarinum in Bullario Caſinenſi* Tom. II. pag. 61. *Mabillonius de Re Diplom. lib.* 2. *c.* 16. De ſigillo Majeſtatis *Henrici* II. Imp. vid. *Beſſelij Chron. Gottvvic.* p. 230.

Notabilis eſt clauſula Diplomatis ab *Henrico* IV. Imp. conceſſi Eccleſiae Nivellenſi an. 1059. apud *Miraeum Donat. Belgicar. lib.* 2. *c.* 24. pag. 385. = *Et ut noverint omnes, praeceptum hoc noſtra auctoritate firmatum, juſſimus imprimi noſtrae Majeſtatis ſignum, ne excuſari poſſit, quisquis recognita imagine, contra quem hoc ſcriptum eſt, facere praeſumpſerit.*

Diploma ab *Henrico* V. Monaſterio S. *Florae* conceſſum Tom. II. *Bullar. Caſinens. p.* 134. = *Quod ut verius credatur & evidentius inpoſterium eluceſcat, praeſens inde authenticum fieri & noſtrae Majeſtatis bulla juſſimus communiri. . . .*

In diplomate Confirmationis privilegiorum a *Friderico* I. Imp. Coenobio Bobienſi an. 1153. conceſſo Tom. II. *Bullar. Caſinens.* pag. 172. ſq. = *Manibus propriis corroborantes aurea bulla noſtrae Majeſtatis communiri praecepimus.* In ſubſcriptione diplomatis ſuper inſula Sardiniae Piſanis an. 1165. dati apud *Lunig* Tom. I. *Codic. Diplom. Italiae* cap. III. num. VII. p. 1058. *Praeſentem paginam ſcribi & aureo noſtrae Majeſtatis ſigillo juſſimus eam ſigniri.*

In Diplomate *Henrici* VI. Imp. dato Monaſterio S. *Pauli* anno 1188. Tom. II. *Bullar. Caſinens.* p. 217. = *praeſentem divalem paginam inde conſcriptam aureo Majeſtatis noſtrae ſigillo juſſimus communiri.*

In binis Diplomatibus *Othonis* IV. Imp. de an. 1210. Tom. II. *Bullar. Caſinens.* pag. 240. ſq. ſequens eſt ſubſcriptionis clauſula: *ſequentem inde paginam ſcribi & noſtrae Majeſtatis ſigillo juſſimus praemuniri.* Item: *Praeſentem paginam inde conſcribi juſſimus & Imperialis Majeſtatis noſtrae ſigillo communiri.*

Diploma confirmationis privilegiorum Monaſterij montis Regalis de an. 1220. a *Friderico* II. Imp. conceſſum Tom. II. *Bullar. Caſinens.* p. 249. &c. = *Praeſens privilegium inde ſcribi & noſtrae Majeſtatis ſigillo juſſimus communiri.* ibid pag. 251. eadem inſcriptio. Diploma Epiſcopis Friſingenſibus an. 1230. datum, apud *Hund.* Tom. I. *Metrop.* p. 163. = *Ad hujus ſententiae noſtrae memoriam & ſtabilem firmitatem, praeſentem regalem paginam fieri & bulla aurea typario noſtrae Majeſtatis impreſſa juſſimus communiri.* Cum idem Imperator Monaſterium S. *Emerami* ſub ſpeciali protectione recepiſſet, chartam deſuper datam concludit: praeſens ſcriptum fieri & ſigillo *Majeſtatis noſtrae juſſimus communiri &c. Ratisbona Monaſtica part.* 2. pag. 162.

In hiſce ſigillis uſque ad *Ottonem* II. Imperatores corona decorati in ſolio vel ſede Majeſtatis conſpiciuntur dextra pomum Imperiale, ſiniſtra ſceptrum tenentes.

Simi-

Similes quam plurimas inſcriptionum formulas hic omittimus, quas qui omnes & ſingulas legere deſiderat, adeat Rmi Principis *Martini Gerbert codicem Epiſtolarem Rudolphi I.* p. 209. 218. 229. 231. 233. 234. 235. 236. 243. &c. ubi hujus Imperatoris. *Ratisbon. Monaſtic. part.* 2. *p.* 219. ubi *Adolfi* Regis. p. 242. *Alberti* I. Rom. Regis. p. 265. *Ludovici* IV. Imp. p. 277. *Caroli* IV. p. 318. *Wenceslai* Regis. p. 327. *Ruperti* Rom. Regis. p. 338. *ſigismundi* R. R. Sigillorum expreſſio ſimilis occurrit.

Friederici III. Imp. diploma, quo libertates & Privilegia monaſterij S. *Emerami* confirmat, ſic ſubſcriptum eſt: Mit urkund dis briefs mit unſer keyſerlichen Majeſtatt anhangenden Inſigel beſigelt. *Ratisbon. Monaſt.* l. c. p. 350. In protectorio Ejusdem *Friderici* clero Moguntino An. MCCCCLXVI. = Mit urkund dieſs brieffs beſiegelt myt unſer keyſerlichen Majeſtat anehangendem inſiegell. vid. *Subſ. Diplom.* Tom. XIII. p. 190. & *Privilegia der Reichs-ſtadt franckfurt* pag. 291. & 314. Ubi maxime notandum, quod ſigillum hoc ſummam exhibens Majeſtatem hanc referat inſcriptionem: *Sigillum Majeſt. Friderici.* Dei. Gra. Romanorũ. Imperatoris. ſemper. Auguſti. Ducis. Auſtrie. ſtirie. karinthie. et Carniole. comitis &c. &c. Poſt hunc Imperatorem ſupra fata ceſſat ſubſcriptio.

Aliquoties jam monuimus in Tomis praecedentibus, quod ſigilla Archi Epiſcopalia ad normam Imperialium, ſi ſpectes formam & inſcrip-

ſcriptionem, fuerint effecta; ſic quoque quoad expreſſionem *ſigillorum Majeſtatis* Principes Imperij imitati ſunt ſummos Reges & Imperantes. Sic *Bertholdus* an. MCCCCXCI. Separationem monaſterij *Steina* a Collegio Northenſi ſubnotavit: *ſub ſigillo noſtrae Majeſtatis. joann.* T. I. p. 804. an. MCCCCXCIV. cum parochialem oppidi *Hanau* ad Collegialis dignitatem evexit, Tabulas deſuper datas ſic ſubnotavit: Datum *Mechliniae* ſub *ſigillo noſtrae Majeſtatis* I. die menſis octobris. An. MCCCCXCV. Idem confirmavit privilegia & ſtatuta Eccleſiae Collegiatae S. *Petri* extra muros Moguntinos; adhibita inibi quoque eſt clauſula: *ſub ſigillo noſtrae Majeſtatis. &c.*

Sigilla Landgraviorum *Haſſiae* ſimilis tenoris referunt *Kuchenbecker Anal. Haſſ. Coll. XI.* 101. &c. &c. vid. etiam *Ientzel in Hiſt. Gothan.* p. 660. ubi Sigill. Maj. Saxon.

Item: De magno-Ducali ſigillo Majeſtatis ſaxonico videatur *Jo. Zacharias Gleichmannus* alias *Helmondus in commentatione juridico-hiſtorica ſuper themate praememorato* in lucem edita Jenae 1740. 4. add. *Müller ſtaats cabinet* IVte oefn. p. 171. 187. *Michael Henr. Griebner obſervationes juris publ. de ſigillo Majeſt. Saxonico Wittenbergae* 1712. 1718. & in *ejusdem ſelectis opuſculis juris publ.* p. III. p. 46-63. *Schamel in hiſtoriſcher beſchreibung des Benedictiner cloſters zu St. Georgen vor der ſtadt Naumburg* pag. 39.

Chriſtianus Henricus Eckardus Introduct. in rem Diplom. pag. 102. ex *Marquardo Herrgott*

gott in Geneal. Dipl. Auguſtae gentis Habſpurg. lib. I. c. XVII. p. 103. bene obſervat: Sigilla Majeſtatis Regum & Imperatorum propria eſſe & ab ijs ſeparanda, quae equeſtria ſive auctoritatis vocantur & Principibus ſecularibus attribuuntur. Hi Principes ſummum jus territoriale teſtaturi, aliam in ſigillis inierunt rationem, cum figuras ſolio inſidentes in ſigillis ſuis effingere ſolerent Imperatores. Quemadmodum habitus bellicus omnium glorioſiſſimus in Germania utpote re publica militari credebatur, ita quoque non magis ſuam ſe dignitatem Principes declarare poſſe arbitrabantur, quam ſi equitantes ſe in ſigillis ſuis, quae vocaverunt Majeſtatica, coram ſiſterent.

Ad noſtra nunc Sigilla.

XXXIX.

SIGILLUM *BERTHOLDI* I. ARCHIEP. MOGUNTINI.

ab an. MCCCCLXXXIV - MDIV.

Quatuor Rei Diplomaticae fautoribus Sigilla *Bertholdi* Archipraeſulis ob oculos ponimus.

Primum formae mediae rotundum eſt in ſcuti quadrifidi area prima & quarta Rotam Moguntinam cum octo radijs; in area ſecunda & tertia ſcutulum itidem quadripertitum ſiſtit, in cujus areola prima & quarta columnam

(a) in ſecunda & tertia nigram gallinam cum criſta & paleis rubeis viridi colliculo inſiſtentem (b) conſpicies.

Inſcriptio Sigilli haec eſt: S. BERTHOLDI ARCHIEPISCOPI SANCTE SEDIS MOGUNTINE.

Adpendet dem Lehen-brieff für graff *Adolph* von *Naſſavv* über das Schloſs *Sonnenberg* . . . und des zu urkunde han wir unſer Inngeſiegel an dieſen brieff thun hencken der geben iſt zu *Steinheym* am ſamſtag nach ſandt *Egidien* tag anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto.

Alterum paulo Majus itidem rotundum ſtantem Archiepiſcopum in habitu Pontificali Crucem dextra, ſiniſtra librum geſtantem repraeſentat. Inſignia Moguntina & Hennebergica ſuperius deſcripta ab utroque latere poſita. epigraphe talis eſt: S. BERTOLDI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI PRINCIPIS ELECTORIS. Litteris additum eſt, quo Archiepiſcopus confirmavit an. MCCCCXCIII, ſtatuta Eccleſiae Bingenſis: de eligendo Camerario & recipiendis ad poſſeſſionem.

Tertium ovale, quod & Majeſtaticum dicitur, ſedentem Archiepiſcopum cum mitra pretioſa & pallio conſpicuum ſiniſtra crucem, librum dextra tenentem exhibet. a latere dextro

(a) Hennebergios quidam a Columniorum (*Colonna*) ſplendidiſſima Romae familia deducunt. *Spener Opus Herald. part. ſpec. pag.* 100.

(b) *Spener* l. *c. pag.* 22,

tro Rota Moguntina cum octo radijs, a ſiniſtro autem inſignia apparent Hennebergica, cum inſcriptione: SIGILLUM. BERTOLDI. DEI. GRATIA. MAGUNTINE. SEDIS. ARCHI. EPISCOPI. SACRI. ROMANI. JMPERIJ. PER. GERMANIAM. ARCHI. CANCELARIJ. AC. PRINCIPIS. ELECTORIS.

Quartum ſecundo vix non ſimile, ſi quasdam ſigilli decorationes & inſcriptionis abbreviaturas exceperis.

Quaedam Documenta Sigillis munita ſubjungimus:

I. *Bertholdus* Archiep. fideles excitat ad ſuccurrendum reficiendae Aedi S. *Albani* . . . *deſinit:* In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra, noſtrum & Fabrice noſtre Maguntine preſentibus ſunt appenſa. Datum *Aſchaffenburgi* XXVIII. die menſis junij Anno Domini M CCCCLXXXVI. *joann.* Tom. 2. p. 778.

II. Idem *Henricum* Epiſcopum Vice-Componenſem conſtituit in Pontificalibus Vicarium Generalem . . . *explicit:* Date *Aſchaffenburgi* ſub ſigillo noſtro VIII. Octobris anno Domini MCCCCLXXXVI. *joann.* T. 2. p. 438.

III. Kurfürſten *Bartholds* conſens in die confirmation, ſo kaiſer *Fridrich* der III. Kurfürſt *joannem*, *Friderichen* und *Siegmunden* Margraffen zu Brandenburg über die marck Brandenburg mit allen zugehörungen und anwartungen in ſpecie auf der Mecklenburgiſche lande geben. *finis:* zur urkund haben wir unſer

ſer inſiegel an dieſen briefe thun hengen, der geben iſt zu *Nürnbergk* aufm Montagk nach Trinitatis anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo. *Lünig part. ſpecial.* III. th. pag. 19.

IV. *Bertholdus* Archiepiſcopus conſtituit Inquiſitores ampla cum facultate procedendi adverſus quoſcunque de hoereſi diffamatos ac ſuſpectos. *terminatur:* Date apud Arcem S. *Martini* . . ſub ſecreto noſtro. XI. menſis julij Anno . . MCCCCLXXXVII. *de Guden.* Tom. IV. pag. 480.

V.

PROVISIO DE PAROCHIALI ECCLESIA IN DIOECESI HERBIPOLENSI EX JURE DEVOLUTO.

B*ertholdus* &c. devoto nobis in *Xpo* dilecto *Martino Svvaben* presbitero Herbip. Dioec. ſalutem in Domino ſempiternam. Dignum arbitramur, ut eos qui Eccleſiaſticam elegerunt ſortem, eosdem etiam gracijs & beneficijs noſtris proſequamur, ſane ut aſſeris, eccleſia parochialis ſancti *Laurentij* ville *Svvebheim* Herbip. Dioc. per obitum ultimi atque legitimi illius dum vixit poſſeſſoris vacavit vacatque ad preſens legitimo atque Canonico poſſeſſore, ut ſecundum ſacrorum canonum proviſiones & ſtatuta eccleſie illius collatio & proviſio ad nos tanquam Metropolitanum hac vice legitime ſit devoluta, fuitque nobis pro parte tua humiliter ſupplicatum, ut eccle-

ecclesiam predictam cum omnibus juribus tibi gratiose conferre atque de ea providere dignaremur, nos meritorum tuorum intuitu & quod diutina vacatio ecclesijs periculosa esse consueverit ecclesiam predictam tua assertione sic vacantem pro jure ad nos sic devoluto tibi conferimus atque de ea in Dei nomine providemus per presentes, mandantes omnibus & singulis Ordinarijs eorumque vicarijs aut officialibus quorum interest, ut te per nos, ut premittitur, provisum Canonice instituant, in possessionem dicte Ecclesie inducant, inductumque defendant faciendo tibi de omnibus & singulis fructibus, honoribus, juribus aliisque quibuscunque ad dictam ecclesiam pertinentibus integre responderi. Date apud arcem sancti *Martini* in civitate nostra Moguntina sub secreto nostro vigesima quinta Martij Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo.

VI.

STATUTA HUJUS ECCLESIAE CONFIRMANTUR.

B*ertoldus* Dei gratia sancte Maguntine sedis Archi Episcopus sacri Romani Imperij per Germaniam Archi Cancellarius ac Princeps Elector ad perpetuam rei memoriam. Debitum auctoritatis nostre tunc maxime exsolvere credimus, ubi salubribus Ecclesiarum provisionibus predecessorumque nostrorum legitime consultissimeque statutis & ordinationibus

bus noſtre etiam confirmationis robur adjicimus. ſane pro parte honorabilium devotorum nobis in Chriſto dilectorum Rectoris atque altariſtarum Eccleſie parochialis in *Eltvil* noſtre Dioc. ad nos pervenit: ab auctoritate bone memorie *Adolphi* Archi-Epiſcopi Moguntini predeceſſoris noſtri ſalutaria quedam ſtatuta & ordinationes pro decore divini cultus & conſervande honeſtatis morum & preterea jurium Eccleſie & Altarium in Eccleſia predicta proviſa & ordinata fuerint, prout omnia in litteris prefati predeceſſoris noſtri deſuper confectis, quarum copie auſcultate coram nobis exhibite fuerunt, latius aſſertum eſt contineri, quarum data apparebat de Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo die decima quarta Decembris. Fuitque nobis pro parte Rectoris & Altariſtarum predictorum humiliter ſupplicatum ut dictas ordinationes ſtatuta & proviſiones prefati predeceſſoris noſtri aſſertis litteris contentas auctoritate noſtra ordinaria gratioſe ratificare, confirmare & quantum opus eſſet de novo concedere dignaremur, Nos vero dignis hujusmodi ſupplicationibus aures prebere decoremque divini cultus atque morum honeſtati, Eccleſieque predicte in hac parte conſulere volentes omnia & ſingula capitula, ordinationes, proviſiones & ſtatuta per prefatum predeceſſorem noſtrum in litteris pretactis facta, ordinata & proviſa auctoritate noſtra ordinaria tenore preſentium ratificamus, laudamus, approbamus & confirmamus & quantum neceſſe foret, de novo diſ-

po-

ponimus & ordinamus diſtricte precipiendo mandantes omnibus & ſingulis Rectoribus & Altariſtis nunc & in futurum in dicta Eccleſia beneficiatis ut dictas ordinationes & proviſiones precife obſervent, cuſtodiant & exequantur ſub pena indignationis noſtre graviſſima, quod ſi qui temere neglexerint, ſupra omnipotentis Dei ultionem eosdem etiam legitimis cenſuris & penis coercebimus, Datum apud arcem ſancti *Martini* in civitate noſtra Moguntina ſub ſigillo noſtro decima Maji Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo octavo.

VII.

WIE MYN HERR SANT *ALLEXANDERS* STIFFT ZU *EINBECK* DIE DRYTEYL AM ZEHENDEN ZU *OBERSHUSEN* DARUFF SIN GNADE DIE LOSUNG HETT EWIGLICH VEREYGET HAT.

Wir *Bertholt* &c. bekennen und thun kunt offentlich mit dieſem brieff fur uns unſer nackommen und ſtifft als in vergangen zeyten *Dietherich Rulman* burger zu *Eimbeck* druteyle ann dem zehenden zu *Obershuſen* den Erſamen unſern lieben andechtigen Dechant und Capitel zu ſant *Allexander* daſelbs mit verwilligung unſers vorfaren Ertzbiſchoff *Conradts* ſeligen fur drwhundert gulden uff ein widerkauff verkaufft hat, inhalt einer verſchrybung daruber ſagende der datum ſteet *heyligen-*

genſtadt feria quarta proxima poſt diem beati Bartholomei Apoſtoli anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, und aber wir Lute ſolcher obeſtimpten verſchrybung die gedachten druteyle zehendes widerumb mit druhundert gulden ann uns und unſern ſtifft zu kauffen han, das darumb die gedachte Dechandt und Capitel ſolcher druteyl zehendes mit uns handeln laſſen haben in der geſtalt dwyl ſie und jre ſtifft die lange zcijt here jngehapt jne ſwere were die nu zuuerlaſſen und uff das ſie und jre ſtifft hinfur ewiglich daby bliben mogen, ſo haben ſie uns itzo uff ſolch druhundert gulden damit ſie ſolch teyle uff ein widerkauf gekaufft han noch hundert gulden heruſs gegeben, alſo das die dry teyle des zehenden nit hoer want ſie wert mit dem kauffgelt beſwert ſin. darumb ſo haben wir den gedachten Dechant und Capitel jren nachkommen unnd ſtifft zu ſant *allexander* zu *Embeck* zu nutz und gut ſunderlich dwyl die unſerm ſtifft entledigen und ſunſt hoer want ſie wert beſwert ſin ſolch dryteyle zehends zu *Obershuſe* gentzlich und gar geeyget alſo das ſie nu furter ewiglich ſolch teyle als ander jrs ſtiffts eygen gut ewiglich inhaben nutzen nyeſſen und gepruchen, damit thun und laſſen ſollen und mogen, als mit anderm deſſelben jrs ſtiffts eygen gut ſunder jnrede unſer unſer nachkomen und ſtifft den willen gethan ob wir uber kurtz oder langk beſſerung an ſolchen dryteyle zehends erfunden, und den widerumb ann uns und unſern ſtifft kauffen und ſelbs gehal-

ten

ten wolten das ſie uns den fur vierhundert gutten Rinſcher gulden zu kauff geben ſollen und wollen, doch alſo das wir den furter nymants anders gonnen ſollen zu kauffen und wan wir ſolchen kauff fur uns und unſern ſtifft thun wollen ſollen wir den uff einen yeden ſant *Michels* tag mit der obeſtimpten ſumme thun und ſuſt uff kein ander zeyt geuerde und argeliſt herjnn gentzlich uſsgeſchloſſen. Und des zu urkunde haben wir unſer ſecret ann dieſen brieff thun hencken Der geben iſt zu *Amorbach* am mitwochen ſant *Jevers* tag anno Domini MCCCC octuageſimo octavo.

VIII. *Bertholdus* acceſſum ad foedus ſuevicum juſſu Imperatoris factum nuntiat clientibus cunctisque ſuis ſubditis, ut anti-foederatos (quodſi ſocios hoſtiliter invaderent) omni modo perſequantur. *deſinit:* geben zu *Biſchoffsheim* an der Tauber under unſerm ufgedrucktem ingeſiegel am ſampſtag nach S. *Paulus* tag *Converſionis* Anno Domini MCCCC LXXXIX. *de Gud.* T. IV. p. 482.

IX.

WIE MYN GNEDIGER HERRE DEN BURGKFRIEDEN ZU *FULD HUNEFELT GEYSA ROCKENSTUL LAWTERBACH BRUCKENAW* UND *SCHILDECK* ZU HALTEN GESWORN HAT.

Wir *Bertolt* &c. bekennen und thun kunt offentlich mit dieſem brieff als etwan

der hochwirdige jn Got vatter Ertzbiſchoff *Conrat* unſer vorfare loblicher gedechtniſs mit ſampt den hochgebornen furſten herrn *Ludvvigen* Lantgrauen zu Heſſen ſich mit dem Erwirdigen jn Got herrn *johannſen* abt des ſtiffts zu *fulde* ſeliger gedechtniſs ſich eins kauffs umb den halben teil an Burgk und ſtatt *fulde*, den halben teil zu *Hunefelt* zwey teile zu *Geyſa* und *Rockenſtule*, *Lauternbach* gantz *fiſchberg* gantz *Bruckenavve* gantz und *ſchildeck* halb eins kauffs uff widerkauff vereynigt daby einen burgkfrieden uffgericht und den mit glubden und eyden beueſtiget haben der under anderen jnheldet das der obgenanten dryer furſten nachkommen und erben zuuor und ehe die zu jren teilen der obgemelten sloſs und ſtette gelaſſen werden denſelben burgkfrieden globen und ſweren ſollen veſte und ſtete zu halten und des jre offenn verſiegelten brieue ubergeben &c. Wann wir nu unſer teil oberurter sloſs und ſtette usgenommen *fiſchberg* das wider an den ſtiefft zu *fulde* erkauft iſt durch uns und die unſern jn crafft des vorgemelten kaufs geprauchen wollen wie ſich Laut des kauffbrieffs und ander verſchreibung ſeyther daruber gemacht geburt und der Burgkfriede uns uffegt vorgeſchriebener maſſen pflicht zu thun. Globen und ſweren wir by unſern furſtlichen eren und wirden jnn und mit crafft dieſs brieffs den obgemelten burkfrieden zu allen ſinen worten puncten und artikeln alſo fern der uns anrurt ſtete veſte und unuerprochenlich zu halten

ten und dem getruwelich nachzukomen on alles geuerde. Des zu warer urkunde haben wir unſer Ingeſiegel an dieſen brieff thun hencken der geben iſt zu ſant *Martinsburgk* zu unſer ſtat *Meintz* am dinſtag nach ſanct *franciscus* tag. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono.

X.

ERKENTNISS DAS MYN GNEDIGSTER HERR DIE VON *LAWTERNBACH* UFF JRE GETHAN ERBHULDUNG BY JREN HERKOMEN FREIHEITEN HANTHABEN WOLLE.

Wir *Bertolt* &c. bekennen offennlich mit dieſem brieue, nach dem die Erſamen unſer lieben getruwen Burgermeiſter Rate unnd Gemeynde der ſtatt *Luternbach* unns jn crafft der verſchrybung die wir und unnſer ſtiefft unnſers teils halben daſelbs von dem ſtiefft zu *fulde* herpracht haben uff unſer Begerung mit glubden unnd eyden als ſich geburt erbhuldung getan und ſich darjnn gehorſamlich ertzeigt haben, das wir die vorgedachten burgermeiſter rate und gemeynden der ſtat *Luternbach* by allen den Eren wirden freyheiten rechten und guten alden herkomen und gewonheiten Laſſen, und behalten wollen als ſie die by jren herrn unſern vorfarn und dem ſtiefft *fulde* gehabt und herbracht haben, und ſie darby hanthaben ſchutzen und ſchirmen als wir

dann billich thun on alles geuerde. Des zu urkunde haben wir unſer jnngeſiegel an dieſen Brieff thun henncken. Der gebenn iſt zu ſant *Martinsburgk* jn unnſer ſtatt *Mentz* am mitwochen nach *aller heiligen* tag Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono.

XI. Vergleich zwiſchen den kurfürſten das die könige in Böhmen von der kaiſerl. Wahl nicht ausgeſchloſſen werden ſollen. *finis:* Des zu urkund haben wir unſer inſiegel an dieſen brief thun hencken. Der geben iſt anno Domini 1489. *Lünig part. ſpec.* 1. th. pag. 237.

XII. *Bertholdus* & *Wilhelmus* Haſſiae Landgravius in bonum Comitatus Naſſovio-Saraepontani aere alieno nimis oppreſſi ordinant . . *deſinit:* Ich *Philips* Graue zu *Naſſavv* . . han myn inſiegel by der myner gnedigſter und gnedigen herren Ingeſiegel auch an dieſen brieff gehangen. Der geben iſt zu *Mentz* uf frytag nach S. *johans Baptiſten* tag anno Domini MCCCCXC. *de Guden.* T. IV. p. 487.

XIII.

BERTHOLDUS ARCHIEP. CONFIRMAT CLERI MOGUNTINI PRIVILEGIA.

B*ertoldus* Dei gratia ſancte Moguntinenſis ſedis Archi Epiſcopus ſacri Romani jmperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector Paſtoralis officii ad quod licet immeritos divina dignatio nos vocavit debita

ſoli-

ſolicitudo requirit, quod eccleſiarum noſtro regimini ſubiectarum utilitati commodo & honori quanta poterimus vigilantia intendentes gravaminibus eorum & ſcandalis viam precludere ſatagamus. Cupientes ergo venerabiles & devotos nobis in chriſto dilectos Prelatos capitula & conventus eccleſiarum & monaſteriorum intra & extra muros noſtre civitatis Moguntin. quos ſemper apoſtolice ſedi obedientes & in noſtris negotiis nobis favorabiles cognovimus ſuis exigentibus meritis pre ceteris favore proſequi gracioſo predeceſſorum noſtrorum veſtigiis inherendo promiſimus & tenore preſentium promittimus ipſos Prelatos capitula & conventus nec non monaſteria ac perſonas cum ſuis rebus bonis & familia in ſuis libertatibus & privilegiis conſuetudinibus & obſervantiis licitis & honeſtis ac juris communis diſpoſitionibus conſonis confovere & ipſos circa eadem & easdem manutenere tueri defendere & quantum poſſumus conſervare ipſisque tam in genere quam in ſpecie communiter & diviſim libertates & privilegia conſuetudines obſervantias & diſpoſitionem juris hujusmodi quantum nobis ex alto permittitur inviolabiliter obſervare. Preterea tenore preſentium pollicemur quod in nullum de ipſis clericis nec in ipſorum eccleſias ſeu monaſteria excommunicationis ſuſpenſionis vel interdicti ſententias proferemus juris ordine pretermiſſo. Nec eos nec aliquem ipſorum citabimus aut citari mandabimus niſi ad certum & tutum locum in Literis citatoriis determinate

 ex-

expreſſum ad quem veniendo ibidem morando & inde recedendo plena ſecuritate gaudebunt juxta juris formam. Item quod contra electiones ordinationes diſpoſitiones dignitatum perſonatuum prelaturarum officiorum canonicatuum prebendarum & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcunque ad dictos prelatos capitula monaſteria vel conventus communiter vel diviſim ſpectantium & pertinentium ad preſens vacantium vel quas ſeu quos aut que vacare contigerit in futurum nullum impedimentum per inhibitionem reſervationem decreti interpoſitionem vel per quamcunque viam aliam ex quacumque cauſa contra juſtitiam preſtabimus quominus in hac parte gaudeant & quilibet eorum gaudeat libere jure ſuo ſibique & eccleſiis ac monaſteriis ſuis de hujuſmodi dignitatibus perſonatibus prelaturis officiis canonicatibus prebendis ac aliis beneficiis eccleſiaſticis quocumque nomine cenſeantur perſonis idoneis prout eis placuerit & viſum fuerit expedire per formam electionis collationis vel proviſionis ſeu alias quocumque modo poſſint & valeant canonice providere. Item quod nunquam compellemus vel compelli mandabimus per cohertionem prelatos capitula canonicos & conventus permutationibus conſentire niſi de conſenſu omnium & ſingulorum quorum intereſt proceſſerint libera voluntate. Item quod teſtamenta & ultimas voluntates eorum & ordinationes bonorum ſuorum vel alicujus ipſorum ſi que vel ſi quas in ſanitate vel egritudine ipſi vel eorum aliquis ſeu alicujus eorum

rum manufideles electi vel inpoſterum eligendi fecerint de rebus & bonis ab eis vel ab aliquo eorundem quocumque modo relictis ratas & firmas habere & tenere permittimus inviolabilter obſervare nec aliquid quominus ſuum in omnibus ſortiantur effectum in contrarium attemptare. Et quod ultra conſuetum fertonem dari ſolitum nil amplius poſtulabimus ſeu per commiſſarios veſtros poſtulari & exigi faciemus aut permittemus quovis modo juribus officii commiſſarie noſtre ſalvis manentibus que tamen ad infraſcriptum modum & taxam tenore preſentium reducimus ut puta ſi teſtamentum ad quinquaginta florenos aſcendat ſolvatur dimidius florenus. Si vero a ſeptuaginta usque centum floreüus ſolvatur, & deinde pro quolibet centenario unus aureus usque ad quingentos a ſumma vero quingentorum ultra, pro quolibet centenario ſolvatur dimidius florenus quam taxam ſatis equam & laboribus commenſurandam exiſtimamus. Item quod nihil de dignitatibus perſonatibus & eccleſiis parochialibus ipſis & eorum eccleſiis ſeu monaſteriis in civitate Moguntina vel extra ſeu in dioeceſi Moguntina conſtitutis usque in hodiernum diem incorporatis ratione ſubſidii vel contributionis aut alterius cujuscunque exactionis vel petitionis cujuscumque nomine requiramus ſpecialiter vel cum aliis communiter aut recipiemus ab ipſis ſeu recipi volumus aut requiri cum per contributionem ſeu ſubventionem eccleſiarum moguntin. communem ſatis oneratos reputemus eosdem. Item

 volu-

volumus & preſentium auctoritate mandamus quod abbas Monaſterii ſancti *Jacobi* extra muros Mogunt. canonici & perſone eccleſiarum mogunt de ſuis negotiis ſigillandis ſigillo noſtre ſedis nullum dent ſallarium niſi velint ſpontanea voluntate. Item quod de bonis eccleſiarum & monaſteriorum predictorum & fundis & de ſingulorum clericorum & canonicorum predictorum bonis ſive penſionibus proventuris. cum bona hujusmodi ſive vina fuerint ſive blada ſive alique res alie quecumque per alueum Rheni deſcendere vel aſcendere contigerit quoquo modo vel aliis in locis ubi jurisdictionem haberemus ſeu poteſtatem nullum omnino percipiendi theolonium nec recipi permittemus dumodo negotiandi cauſa non deſcendant. Nec ipſa bona per nos ad cujuscunque querelam vel procurationem arreſtabimus & mandabimus arreſtari, neque etiam ſcrotariis vulgariter wynſchroter vel aliquibus aliis perſonis que ad hujusmodi bona deducenda utiles vel neceſſarie fuerint. Inhibitionem aliquam ſeu preceptum vel mandatum in contrarium faciemus neque ullum impedimentum preſtabimus, quominus hujusmodi bona & res libere deducantur ſalvo ſi bona ipſa cenſualia forent & cenſus neglectus fuiſſet debitus de eisdem. Item quod in viſitatione eccleſiarum & monaſteriorum infra & extra muros Mogunt. predictis contenti erimus & eſſe debemus ſumma pecunie ab antiquo nomine procurationis perſoluta. Item volumus ne clerici per laicos in dioeceſi noſtra, pro rebus ſuis

ſeu

ſeu eccleſiaſticis bonis ad judicia ſecularia protrahantur. Item volumus quod bona eccleſiarum & monaſteriorum infra & extra muros civitatis noſtre Mogunt. quatenus ea hactenus libera & exempta tenuerunt a precariis ſteuris ſive impoſitionibus eatenus etiam in antea ea ab hujusmodi preſtationibus libera permaneant & abſoluta. Sed ſi aliqua impoſterum acquiſiverint talia ſi ſint onerata cum ſuo debent onere tranſire & de eis ſecundum conſuetudinem terre diſponi & obſervari. Item quod clerus Mogunt. eorumque familia in rebus bonis perſonis curiis ac libertatibus ſuis per quempiam nullatenus moleſtentur ledantur aut carceribus mancipentur quin ymo nos eos contra hujusmodi ut non fiant fideliter manutenebimus & manuteneri ac defenſari per noſtros curabimus cum effectu niſi aliquis pro malefacto rite & legitime juris ordine ſervato confeſſus vel convictus fuerit vel caſus ſit quo de jure captura perſone fieri poſſit. Item quod concordiam olim inter conſulatum ac communitatem civitatis Mogunt. ex una & clerum Mogunt. predictum initam, ac per certos ambaſiatores conſilii Baſiliens. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto in craſtino *Epiphanie Domini* de conſenſu ambarum partium captatam atque promulgatam cum inibi contentis punctis & articulis vulgariter die *Rachtung* nuncupatam volumus per nos ac noſtros officiatos inviolabiliter obſervare & manutenere. Et quia propter varias occupationes quibus quottidie invol-

vimus etiam que ipſi geſſimus vel egimus nos ſepe fallit oblivio ne igitur per aliqua que forte nos facere vel aliis committere in genere vel in ſpecie in futurum contigerit ſeu feciſſe vel commiſiſſe hucusque appareret ad alicujus inſtantiam vel etiam motu proprio per que videremur in aliquo obviare vel obviaſſe premiſſis vel alicui eorum ex nunc declaramus, & omnibus tam preſentibus quam futuris exponimus hoc ex noſtra oblivione proceſſiſſe & procedere. Quare etiam hujusmodi que ſic fieri vel mandari per nos contigerit vel facta ſeu mandata apparerent & quicquid ſecutum extitit ſeu exiſtit ex eisdem nulla decernimus & omni vigore carere ab omnibus quoque ipſis volumus impune non parere. Date *Steinheym* ſub ſigillo noſtro nona ſeptembris Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto.

XIV.

BERTHOLDI A. M. DECLARATIO FRIDESLARIENSIBUS DATA CIRCA INTERDICTA ECCLESIASTICA.

B*ertoldus* Dei gracia ſancte Maguntine ſedis Archi Epiſcopus ſacri Romani Imperij per Germaniam Archi Cancellarius ac Princeps Elector ad futuram rei memoriam. Maguntinum decet Pontificem ſic dubia que circa conceſſiones per felicis recordationis predeceſſores ſuos Archi Epiſcopos pro tempore factas, oriuntur, declarare, ut omni dubietate ſe-

ſemota conceſſiones ipſe ſuum ſorciantur effe-ctum & quibus conceſſe ſunt, ubilibet ſuffragentur. ſane predeceſſores noſtri Archi Epiſcopi Magunt. erecta fraternitate ſancti *Martini* pro devocione chriſti fidelium & animarum ſalute fratres ejusdem ſpeciali favore proſequentes eis indulſerunt, ſi eos aut aliquem ex eis in loco civitatis vel dyoceſis Magunt. eccleſiaſtico ſuppoſito interdicto decedere contingeret eorum corpora cum ſolitis officijs apertis januis & pulſatis campanis excommunicatis & interdictis excluſis eccleſiaſtice ſepulture tradi & devote ſepeliri poſſent. Quodque ſingulis annis favore dicte fraternitatis & ſingulis diebus Dominicis celebribusque infra primam Dominicam quadrageſime & feſtum *decollationis* ſancti *johannis Baptiſte* incluſive per rectores parrochialium & aliarum Eccleſiarum aliosque presbiteros janu is apertis & campanis pulſatis excommunicatis & nominatim interdictis excluſis in civitate opidis vel locis Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis divina officia celebrari & chriſti fidelibus ſacramenta miniſtrari poſſent perinde ac ſi loca ipſa Eccleſiaſtico minime ſubjacerent interdicto, paterne conceſſerunt, ſubſecuta confirmatione ſancte Apoſtolice ſedis ad interdictum etiam apoſtolica auctoritate poſitum extenſa prout in litteris deſuper confectis plenius continetur, Verum a nonnullis nimis curioſis revocatur in dubium, an indultum & conceſſiones hujusmodi in locis eccleſiaſtico interdicto ob incarcerationem detentacionem ſeu ſpoliationem pres-

presbiterorum & ſacerdotum juxta ſtatutorum provincialium diſpoſicionem ſuppoſitis modum & ordinem ſorciantur, nos volentes omnem tollere ambiguitatem ex noſtra certa ſcientia declaramus, indultum & conceſſionem predictas in caſu interdicti gracia incarcerationis detencionis ſeu ſpoliationis presbiterorum & ſacerdotum & tenore ſtatutorum provincialium poſiti locum & ordinem habere, ſolis locis in quibus ſacerdotes detinentur & ubi illi qui occaſionem interdicto dederunt, reperiuntur, reſident & morantur, exceptis in quibus ſtrictiſſimum interdictum obſervabitur, donec ſacrilegi & excommunicati ad cor reverſi relaxationem & abſolucionis beneficium meruerint, hanc quidem declarationem univerſis & ſingulis chriſti fidelibus preſertim presbiteris curatis & non curatis per terminos Prepoſiturarum Fritzlarienſis & Geysmarienſis conſtitutis ceteriſque nobis ſubjectis intimamus, inſinuamus & ad eorum & cujuslibet eorumdem notitiam deducimus per preſentes & deduci volumus, mandantes in virtute ſancte obedientie & ſub excommunicationis pena eis & ipſorum cuilibet ut eam obſervent & quatenus opus ſit practicent & obſervari ac practicari faciant, alioquin contra eos prout juris fuerit indubio procedetur. In quorum omnium & ſingulorum premiſſorum fidem & teſtimonium has litteras noſtras ſigilli noſtri fecimus & juſſimus appenſione muniri. Date apud arcem ſancti *Martini* in civitate noſtra Maguntina die octava menſis Martij Anno Domini

Mille-

Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo.

Mandato Dñi *Evvaldus Wymar* Secretarius.

XV. De officio in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum in Collegiatis juxta ritum Majoris Eccleſiae peragendo . . *finis:* Datum in caſtro noſtro *Steynheim* ſub ſigillo noſtro. Die XVI. menſis ſeptembris anno Domini MCCCCLXXXXI. *de Guden.* Tom. IV. pag. 492.

XVI.

ERTZB. *BERTHOLDS* ORDNUNG: WIE ES MIT DEN FREVELER DER BUESSE HALBER SOLL GEHALTEN WERDEN.

Wir *Berthold* von Gots gnaden des heyligen ſtuls zu *Mentz* Ertzbiſchoff des heyligen Romiſchen Richs durch germanien Ertzcantzler und Churfurſte, Bekennen und thun kunth mit diſſem offen briue, als bishero In unſer ſtadt *fritzlar* zytlich mishandelung mit slagen wonden Lemen und todtſchlegen ſich begeben haben und urſach mogen geweſt. das die ſtraff und buſs daſelbſt geringe und nicht gefordert worden ſeint, damit aber hinfur umb forcht der bueſs und ſtraff, ſolich mishandell deſto mehr vermidden, und verhuttet, auch miſstetter geſtrafft werden, haben wir mit zeitlichem vorraith und betrachtung die peen und ſtraff,

ſtraff, auch den angriff und verworung geſetzt und geordent wie hienacher volgt.

Zum erſten, wer ſein waffen freventlich uber ein ander zugkt, und nicht ſchlegt oder wundet, der ſal zu der bueſs vorfallen ſein ein halben Reiniſchen gulden.

Wer aber den andern ſchlegt und nicht verwündt der ſall zu der bueſs verfallen ſein ein reiniſchen gulden, und einen monat auſs der ſtadt ſein.

Und ob ſolich ſchlagen der maiſſen geſcheen, das es dem geletzten ſchedlich were mit arzeney oder am libe ſolichen ſchaden ſolt der ſo geſchlagen hette ablegen noch erkentniſs des gerichts.

Item wer den andern mit gewappenter oder gebeſſerter handt freuentlich verwondet, und nit verlemet, der ſoll zur bueſs verfallen ſein, zwene gulden und ein halb jar aus der ſtadt ſein, und dem der da gewondt iſt, ſein — und ſchaden ablegen noch erkantniſs des gerichts.

Item wer den andern verlemet, der ſoll zur bueſſe geben drey gulden, und dem verlempten ſein — ſchmertzen und ſcheden, ablegen noch erkentniſs des gerichts auch ein halb jar aus der ſtadt ſein.

Item wer auff den andern wege laget oder Jemant ſein hausfrieden, verbricht, der ſall zur bueſs gebenn zehen gulden Reiniſcher und ein halb jar aus der ſtadt ſein.

Item

Item wer ausfarth thun ſall, der mag vor jden monat ein gulden geben, und ſo er den gibt ſal er den monath der ausfarth erlaiſſen werden, und ſolich geldt, das gegen der ausfarth gefallen wurdet ſall fallen zu dem Baue der ſtadt mure zu decken.

Item die Richter ſollen ſolich bueſs an einen Iden zu fordern han wan und wie dicke ſolich miſshandel geclagt, oder aber ſie der tatt ſuſt wiſſen wurden.

Item die waffen ſo gezucht werden mogen richter und knechte einen Iden nemen, die dem ſchultheiſſen anthwortten der ſall macht haben die widder zugeben ader zubehalten.

Item ſo ausleuthe verhandelten, die ſich der bueſs widderten und mit willen nicht geben wolten die mocht man darum komen und beſtandt von Ine nemen noch komers recht ſo lange das ſolich bueſs wie vorgeſchriben vergnuget werden, und ob der gemelter artikel, einen oder mehr durch geyſtlich perſone jr knecht dyner oder geſinde verhandelt wurden, gegen und mit den ſol es gehalten und ſolich verhandelung gerechtfertigt werden, noch ausweiſung verſchreybung und vertrage ſo zwiſchen den geiſtlichen und der ſtadt gemacht ſein. Wer es aber das ein geiſtlich perſone jr knecht diener ader geſinde dermaſſen verhandelten, das ſie dorumb liepliche ſtraffe verwirckten, und an liebe oder leben zu ſtraffen weren, ſo dan ſolich perſone gewyhet weren und auſſerhalb dem — oder hoffen die ge-

gefriet ſein betretten wurden, die mügen unſer ſchultheiſs und die burger anemen, doch ſollen ſie unuerzoglich unſerm Commiſſarien zu zeiten fuglich anthwortten damit ſolicher tetter nach ſeiner verhandelung geſtrafft werde.

Were es aber ein ungewyhet perſone ſo mogen unſer ſchultheiſs und die burger dieſelbigen annemen jn das geſentnis legen und verwaren und nach ordenunge rechts ſtraffen laiſſen.

Und ſolich unſer ordenung und ſatzung haben wir den geiſtlichen auch burgermeiſter und Rathe gemelter unſer ſtadt jr ſchrifften ubergeben, die hinfur beuolen zu halten, ſie die auch alſo williglich angenommen. Geben zu *fritzlar* unter unſerm anhangendem Ingeſiegell. uff ſamſtag noch *agatius* unſers patronen tag Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio.

XVII. *Bertholdus* ſuper oppignoratione quorumdam oppidorum ab Abbate Fuldenſi facta. *explicit:* Haben wir unſer Inſigel wiſſentlich an dieſen hrieff hencken laſſen der geben iſt nach chriſt geburt vierzehn hundert und im ſechs und neunzigſten jare uf den tagk *Petri Cathedra* gnant. *Schannat hiſt. Fuld. prob. pag.* 332.

XVIII. Idem delegat *Ottonem* de *Langen* ad exequendum transactionem Lindavienſem cum Archiduce . . *deſinit:* Date in oppido *Lindau* ſub ſecreto noſtro preſentibus appenſo.

ſo. Die XX Novembris anno a Nativitate Domini MCCCCLXXXXVI. *de Gudenus* T. IV. pag. 515.

XIX.

B*ertholdus* Dei gracia ſancte Moguntine ſedis Archiepiſcopus ſacri Romani jmperii per Germaniam Archicancellarius Princeps Elector, venerabilibus & honorabilibus noſtre *maioris* ſanctorum *Petri Stephani Victoris*, Beate *Marie in Campis*, beate *Marie* ad *gradus Mauricii*, *Johannis Gingolffi* & *Albani* intra & extra muros civitatis noſtre Moguntin. ſanctorum *Petri* & *Alexandri* Aſchaffenburgen. ſancti *Petri* fritzlarien. beate *Marie* & ſancti *ſeveri* Errforden. ſancti *Bartholomai montis ſancte Marie*, & beatorum *Marie* & *Georgii* alias ſancti *Leonardi* franckfurden. ſancti *Martini* Pingwen. ſancte *Katherine* in *Oppenheim Moxſtaden Cellen. Lichen. heiligenſtaden. yſnacen. Goten. Dorlanen. Borslanen. Bebracen. Northunen. Ameneburgen. Jechburgen. Northuſen. Embicen. Caſſelen. Rodemburgen. Geyſmarien.* omniumque aliarum & ſingularum eccleſiarum collegiatarum noſtrae Moguntin. dioceſis, prepoſitis Decanis, ſcolaſticis, cantoribus cuſtodibus, Theſaurariis, ſubcuſtodibus, canonicis & capitulis nec non univerſis & ſingulis abbatibus, abbatiſſis prioribus prioriſſis, prepoſitis prepoſitiſſis commendatoribus, preceptoribus, conventibus & officiatis quibuscunque monaſteriorum & conventuum ac domo-

 rum

rum tam regularium quam ſecularium perſonarum quorumcunque ordinum utriusque ſexus hominum cujuscumque gradus preeminencie ſeu condicionis exiſtant ſeu quocumque nomine nuncupentur, nec non Decanis ruralibus archipresbyteris diffinitoribus & camerariis ſedium, & paſtoribus prepoſiturarum predictarum ac prefatarum metropolitice & collegiatarum monaſteriorum conventuum & parochialium eccleſiarum & capellarum rectoribus plebanis viceplebanis Vicariis perpetuis, capellanis altariſtis Ebdomadariis, presbyteris officiatis & aliis beneficiatis per dictas noſtras civitatem & dioceſim Maguntin. ubilibet conſtitutis devotis noſtris dilectis ad quos preſentes noſtre littere pervenerint ſeu quos preſens tangit negocium ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum communiter & diviſim ſalutem in Domino ſempiternam & preſentibus noſtris litteris cum obediencia dare fidem venerabiles, religioſi honorabilesque devoti nobis dilecti. Cum regimini eccleſie noſtre & ſi immerito preſidentes, ſaluti reipublice operam omnem debeamus animique intendere, ac nihil laboris impenſarumue omittere, quo eccleſie noſtre eiusque ſubditis pacem ac tranquilitatem paremus, hinc neceſſarium duximus ſacre regie romane majeſtatis requiſicionibus obtemperare, atque conventus nationis noſtre pacis juſticieque cauſa indictos adire, eisdemque iam quot annis intendere que cum non niſi graviſſima pecuniarum noſtrarum impenſa fieri potuerint, per iniquum foret, ut

ut quorum cauſa id agimus eorum collationibus & facultatibus non iuvari, Igitur tractatibus & conſultacionibus, plurimis cum venerabilibus & honorabilibus Decano & Capitulo eccleſie noſtre deſuper habitis motique tandem rationibus ſupradictis alijsque multis urgentibus cauſis maiorum veſtigia ſequentes. de conſilio & aſſenſu eorundem Decani & capituli eccleſie noſtre Moguntin. ſepedicte collectam ad modum unius ſubſidii majoris & trium procurationum taxandi omnium & ſingulorum proventuum reddituum & emolumentorum quotidianis diſtribucionibus que preſencie nuncupantur duntaxat exceptis De prelaturis dignitatibus prebendis monaſteriis domibus beneficiis & altaribus veſtris eccleſiaſticis, que in titulum vel commendam obtinetis pro una in feſto ſancti *Galli* hujus preſentis anni Domini Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi octavi, & altera dimidietatibus, in feſto ejusdem ſancti *Galli* anni Domini milleſimi quadringenteſimi nonageſimi noni immediate deinde ſequentis aut infra ſex dies quodlibet hujusmodi feſtorum continue ſequentes ſeu terminum vel terminos per noſtros commiſſarios infra nominatos prefigendum vel prefigendos quouis annorum hujusmodi dimidiam partem ejusdem collecte loco caritavi ſubſidii imponendam exigendam & levandam decrevimus, & in Dei nomine poſtulamus imponimus & exigimus per preſentes, quocirca has noſtras poſtulacionem impoſicionem & ſubſidium caritativum preſtandum vobis omnibus & ſingulis ſu-

pradictis conjunctim & diviſim tenore preſencium intimamus inſinuamus & notificamus, ac ad veſtras certas & indubitas noticias volumus pervenire vosque omnes & ſingulos ſupradictos obediencie noſtre filios cum affectu vere caritatis hortamur requirimus & monemus primo ſecundo tercio & peremtorie, vobisque omnibus & ſingulis ſupradictis communiter & diviſim in virtute ſancte obediencie & ſub infraſcriptis ſentenciarum penis diſtricte precipiendo mandamus quatenus unam die ſancti *Galli* proxime futura hujus anni nonageſimi octavi, & alteram dimidietatem prefate collecte ſic ut premittitur loco caritativi ſubſidii impoſite, die ejusdem ſancti *Galli* anno nonageſimo nono proxime deinde futura, ſeu ſi per vos non ſteterit, quo minus preſencium noticiam habueritis infra ſex dierum ſpacium poſt quodlibet dictorum duorum feſtorum immediate ſequencium, quorum ſex dierum duos pro primo duos pro ſecundo & reliquos duos dies vobis & veſtrum cuilibet pro tercio & peremptorio termino ac canonica monicione prefigimus unam dimidiam partem dicte collecte pretactis duobus annis prout veſtrum quemlibet ſecundum quotam ipſum concernentem ſpectat, noſtris collectoribus honorabilibus videlicet devotis nobis in chriſto dilectis *Wolff* de *Bicken* noſtro in ſpiritualibus vicario *Petro Nothafft* dicte majoris noſtre & *Georgio heylman* alias *pfeffer* ſancti *Bartholomei* franckfurden. noſtre dioceſis eccleſiarum canonicis, quos ad hoc negocium commiſſarios noſtros fecimus & depu-

pu-

putavimus ac facimus & deputamus per preſentes, de veſtris eccleſiáſticis beneficiis tradatis & ſine contradictione ſolvatis & veſtrum quilibet juxta quotam ſe contingentem tradat & ſolvat expedite realiter & cum effectu. Alioquin ſi vos prepoſiti Decani ſcolaſtici cantores cuſtodes Theſaurarii ſubcuſtodes canonici, capitula nec non abbates abbatiſſe priores prioriſſe prepoſiti prepoſitiſſe commendatores preceptores officiati & conventus Decani rurales Archipresbiteri diffinitores camerarii ſedium, paſtores plebani viceplebani vicarii altariſte Ebdomatarii presbiteri officiati & beneficiati eccleſiarum monaſteriorum conventuum Domorum & Capitulorum predictorum quilibet prout ipſum concernit, prefatam impoſicionem & ſubſidium hujusmodi ut premittitur infra terminos prenominatos vel per commiſſarios noſtros predictos ſtatuendos non ſolveritis aut aliquis veſtrum non ſolverit. Sed in ipſius ſubſidii ſolucione negligentes inventi fueritis ſeu rebelles, aut nobis in hac parte rebellibus vel eciam nos ſeu collectores noſtros predictos in ſolucione & leuatione ejusdem ſubſidii impedientibus dederitis quoquomodo auxilium conſilium vel favorem publice vel occulte directe vel indirecte. Nos *Bertholdus* archiepiſcópus predictus in veſtrum ſingulos excommunicationis in capitula vero & conventus delinquentes ſuſpenſionis a divinis & in ipſorum delinquencium eccleſias monaſteria domos & capellas interdicti ſentencias ex nunc prout ex tunc & Ex tunc

 prout

collegia conventus eccleſias monaſteria domos & capellas qui vel que prefatas noſtras vel a collectoribus noſtris aut eorum altero latas vel ferendas ſententias aut earum aliquam incurrerint quoquo modo in forma eccleſie conſueta abſolvendi agendique dicendi gerendi exercendi & ordinandi que pro executione premiſſorum conjunctim vel diviſim fuerint utilia & quomodolibet oportuna ſuper quibus omnibus & ſingulis premiſſis eisdem noſtris collectoribus & Commiſſariis ac ipſorum cuilibet inſolidum tenore preſentium plenarje comittimus vices noſtras donec eas ad nos duxerimus revocandas. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum Data apud *urcem ſancti Martini* in civitate noſtra Magunt. die decima nona menſis Auguſti. anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptimo.

VI.

BERNHARD GENSFLEISCH WIRD VOM HERTSCHILLING ETC. BEFREYET.

Wir *jacob* von Gottes gnaden des heyligen ſtuls zu *Mentz* Ertzbiſchoue, des heyligen romiſchen Reychs durch Germanien Ertzcantzler und Churfurſt bekennen und thun kunth offentlich mit dieſem brieue, das wir unſern Burger in unſer ſtat *Mentz* und liben getruwen *Bernharten Gensfleyſch* ſeyn lebenlang hertſchillings und wachgelts uſs ſondern gnaden gefreyet haben und thun das hiemit und jn Crafft unſers brieffs alſo das er

ſeyn leben langk deſſelben hertſchillings auch wach gelts frey, und unangefordert pleyben ſoll beuelchen darauff unſern rendtmeiſtern und allen andern unſern beuelch habern jn unſer ſtat *Mentz* hiemit gepitendt, das ſie gedachten *Bernharten* ſolichs herdtſchillings auch wach gelts halb ſein lebenlang unangefordert Sonder jnen des frey und unbeſwert ſitzen laſſen daran thundt ſie unſer beuelch unndt meynung Des zu urkundt haben wir unſer ſecret zuruck dieſen brieff thun drucken. der geben iſt zu ſant *Martins burgk* in unſer ſtat *Mentz* Montags nach dem ſontag *Miſericordia* Domini. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octavo.

Pauca ſunt, quae hic ulterius moneam: a Num. I - CXVI. occurrent Magni Argumenti Diplomata ad Eccleſiae Argentinenſis ſtatum maxime illuſtrandum accommoda.

Num. CXVII. Anonymi Chronicon Suevico - Bavaricum ab an. MCCCLXXVII — M CCCCXLV. facta multa pandet ſcitu neceſſaria. Hoc Chronicon ſub num. CXVIII. continuavit *Eraſmus Artz* ab an. MCCCCXLVII - MCCCCLII.

Pro ſupplendis Germaniae Concilijs ſub num. CXIX. ſynodus Ratisbonenſis an. M CCCCLXVI. habita integra ſiſtitur.

Ut tandem Germaniae ſacrae accedat hiſtoria Eccleſiae Cathedralis Mindenſis omnibus numeris abſoluta, proferimus dicti Epiſcopatus chartas a num. CXX. usque ad Tomi hujus finem.

Singillatim haec omnia continet ſubſequens

ELEN-

ELENCHUS

CHARTARUM ET DOCUMENTORUM PROBE RECOGNITORUM ET AUTHENTICORUM.

I.

Henricus IV. Rex Rom: Eccleſiam Rueggiſberg in Helvetia concedit Abbatiae Cluniacenſi. an. 1076. *pag.* 1

II.

Ida Bolonienſis Comitiſſa cum filio Godefrido Duce bona quaedam tradit Abbatiae Affligemienſi. an. 1096. 6

III.

Confirmatio fundationis Cellae S. Mariae an. 1125. 8

IV.

Pacificatio inter monaſterium D. Petri & Cellam S. Mariae. an. 1136. 12

V.

Ortliebus Baſilienſis Epiſcopus antiquam conſuetudinem Capellae B. Martini apud Egenesheim innovat. 1145. 14

VI.

Theodericus Comes de Monte Biligardis omnibus Abbatiis ordinis Ciſtercienſis dedit conductum, pedagium atque theloneum in comitatu ſuo. 1161. 16

VII.

VII.

Fridericus I. Imp. jura ac poſſeſſiones Abbatiae Hugsbovienſis confirmat. 1163. pag. 17

VIII.

Bruno Praepoſitus Haſelacenſis confirmat concambium curtis factum ab Ekkebardo Canonico & parocho in Sultz. 1165. 24

IX.

Paſchalis III. Antipapa fratribus Majoris Eccleſiae Argentinenſis confirmat ſtatutum Friderici Imp. concernens ejusdem Eccleſiae tributarios & cenſuales. 1165. 25

X.

Haiska Abbatiſſa Andlavienſis fundum Salemberg concedit Abbatiae Baumgartenſis. 1167. 27

XI.

Rudolphus Argentinenſis Epiſcopus a Wernbero Abbate Mauri monaſterienſi Caſtrum Hobbarr prope Tabernas Alſaticas per Concambium manſi in Ginsbeim requirit. 1168. 29

XII.

Calixtus III. antipapa fundationem monaſterii S. Fidis in ſeleſtadt confirmat. 1170. 31

XIII.

Rudolphus Argentinenſis Epiſcopus confirmat bonorum donationem Abbatiae Baumgartenſi factam &c. 1171. 35

XIV.

Rudolphus Argentinenſis Epiſcopus confirmat concambium bonorum in Hermolsbeim & in Wege factum

ctum inter fratres Eccleſiae Haſelacenſis & Fridericum militem de Hermolsheim. 1172. pag. 39

XV.

Mathaeus Dux & Marchio Lotharingiae Abbatiae Baumgartenſi concedit omnia bona quae habuit in villa dicta la foſſe. 1172. 40

XVI.

Fridericus de Bitſch filius Mathaei Lotharingiae Ducis praedium Breidenbach in Lotharingia Nendungo Abbati novicaſtri & ejus Abbatiae concedit 1172. 43

XVII.

Hatvidis Abbatiae Andlavienſis inveſtituram Abbatiae & Eccleſiae ſtivagienſis Ordini Praemonſtratenſi & Valtero Abbati concedit. 1172. 45

XVIII.

Fridericus I. Imp. Abbatiae Neoburgenſi adjudicat bona in Dalheim. 1174. 49

XIX.

Hugo bona ſua haereditaria Abbatiae Andlavienſi concedit. 1175. 50

XX.

Compoſitio inter Berthulfum ſtürtzelbronnenſem & Nendungum Neoburgenſem Abbates circa communia amborum Monaſteriorum paſcua. 1177. 51

XXI.

Alexander III. PP. Abbatiae Neoburgenſis bona, jura & privilegia confirmat. 1177. 53

XXII.

XXII.

Hadevidis Abbatiſſa Andlavienſis Warnero Abbati ſtivagienſi & ejus Eccleſiae concedit inveſtituram cenſurae banni ſtivagienſis. an. 1177. *pag.* 57

XXIII.

Hugo Comes de Dagsburg Abbatiae Novi Caſtri praedium in Dangendorff concedit. an. 1178. 58

XXIV.

Charta Noticiae de praedio in ſeelhofen Abbatiae Neoburgenſi a Friderico I. Imp. conceſſo &c. 1178. 60

XXV.

Herradis de Landsberg Abbatiſſa Hohenburgenſis Wernero Abbati ſtivagienſi ejusque ſucceſſoribus locum S. Gorgonij concedit. 1178. 63

XXVI.

Herradis Abbatiſſa Hohenburgenſis de donatione domus & bonorum in Rosheim facta a Willebirca de Andlau. an. 1178. 68

XXVII.

Herradis Abbatiſſa Hohenburgenſis de Officiis Heimburgii & Banwarti in Ingmarsheim conſtituendis. 1178. 69

XXVIII.

Alexander III. PP. bona & jura Abbatiae Neo villarienſis confirmat. 1178. 71

XXIX.

Alexander III. PP. confirmat bona & privilegia Abbatiae Maurimonaſterienſis. 1179. 79

XXX.

XXX.

Fridericus I. Imp. donationem loci S. Gorgonii ab Herrade Abbatiſſa Hohenburgenſi factam confirmat. 1179. pag. 84

XXXI.

Fridericus Dux Alſatiae & Advocatus Hohenburgenſis Abbatiae donationem S. Gorgonii modo memoratam confirmat. 1179. 87

XXXII.

Alexander III. PP. Wurtrudi Abbatiſſae Aſchovienſi & ejus Abbatiae bona & privilegia confirmat. 1180. 90

XXXIII.

Fridericus I. Imp. confirmat jura & bona Abbatiſſae ſtivagienſis Andlavienſi ſubjectae. 1180. 97

XXXIV.

Lucius III. PP. Manegoldi Abbati S. Georgii in Nigra ſilva & ejus Abbatiae curam & regimen cellae Monialium S. Marci in ſuperiori Mundato ſitae confirmat. 1181. 104

XXXV.

Fridericus Dux Alſatiae & Advocatus Abbatiae Hohenburgenſis confirmat fundationem monaſterii Trutenhuſani factam ab Herrade Abbatiſſa & & Guntbero de jugenbege. 1181. 107

XXXVI.

Henricus Argentinenſis Epiſcopus Abbati & monachis in Baumgarten donationem a Walfrido de Biſchoffsheim factam confirmat. 1181. 111

XXXVII.

XXXVII.

Charta ſynodalis Henrici Argentinenſis Epiſcopi de diſcordia orta inter Wernherum Mauri monaſterii, & Henricum Mediani monaſterii Abbates. 1181. pag. 116

XXXVIII.

Lucius III. PP. Garnero ſtivagienſi Abbati confirmat traditionem loci S. Gorgonii ſtivagienſibus factam. 1182. 118

XXXIX.

Lucius III. PP. Statuta Burchardi Epiſcopi Argentinenſis de juribus Praepoſiti Haſelacenſis & Canonicorum ibidem confirmat. 1182. 121

XL.

Henrici Epiſcopi Argentinenſis charta, qua Abbatiae Ettenheimenſi incorporat redditus Eccleſiae parochialis in Schweighauſen. 1183. 127

XLI.

Lucius III. PP. Collegiatae Lutenbacenſis bona & privilegia confirmat. 1183. 128

XLII.

Henricus Argentinenſis Epiſcopus de fundatione Rubeacenſis ſancti Valentini Prioratus. 1183. 131

XLIII.

Lucius III. PP. monaſterium Pariſienſe in pago Alſatienſi ſub protectione recipit. 1184. 135

XLIV.

Bernardus Praepoſitus Marbacenſis Burgae ſorori ſuae Ottonis Rubiacenſis uxori concedit carratam vini in curte ſua ſulzenſi. 1184. 136

XLV.

XLV.

Henricus Epiſcopus Argentinenſis clauſtrale praedium in Artzenheim Weceloni Abbati Pariſienſi & ejus Abbatiae concedit. 1185. *pag.* 137

XLVI.

Bertholdus Majoris Eccleſiae Argentinenſis Praepoſitus fratribus Canonicis montem Ephenberg ad communes eorum uſus tradit. 1185. 140

XLVII.

Ludovicus comes Firretenſis omnia a ſuo avunculo Udalrico Comite de Eginsheim monaſterio Pariſienſi conceſſa confirmat. 1187. 142

XLVIII.

Heinricus Baſileenſis Epiſcopus *monaſterium Loci Creſcentis a pedagio per totum Epiſcopatum eximit.* 1188. 144

XLIX.

Henricus Argentinenſis Epiſcopus decidit litem ortam inter Canonicos Marbacenſes & nobiles de Hatſtatt circa quartam partem patronatus & octavam partem Decimarum in Herlisheim & circa quaedam alia bona. 1188. 145

L.

Theodericus Biſuntinus Archi-Epiſcopus Henrici Argentinenſis Epiſcopi circa Eccleſiam Marbacenſem ſententiam confirmat. 1188. 150

LI.

Henricus Argentinenſis Epiſcopus confirmat fundationem praebendae eleemoſynariae in Collegiata

 su-

Haſelacenſi factam a Wolfhelmo milite de Truchtersheim. 1188. *pag.* 152

LII.

Conradus Epiſcopus Argentinenſis init tranſactionem inter Capitulum Honaugienſe & Garſilium millitem de Berſtett. 1190. 155

LIII.

Henricus VI. Imp. Abbatiam Erſteinenſem, allodium Milzeche atque duas areas in Argentina & Molsheim Conrado Epiſcopo Argentinenſi & ejus Eccleſiae concedit. 1191. 156

LIV.

Henricus VI. Imp. ad requiſitionem Conradi Epiſcopi Argentinenſis ſtatuit, Epiſcopos & Abbates non poſſe infeodare vel alienare bona ad coquinam vel ad aliud officium ſpectantia, neque liceat ulli infra ambitum palatij Epiſcopalis aedificia conſtruere. 1191. 160

LV.

Coeleſtini III. PP. bulla pro Marbacenſi monaſterio. 1192. 161

LVI.

Eccleſiae S. Martini de Capella in Huningen confirmatio per Lutoldum Epiſcopum Baſileenſem. 1192. 163

LVII.

Statutum Eberhardi Praepoſiti & Capituli Majoris Eccleſiae Argentinenſis circa duodecim frumenti quartalia Hugoni de Friburg Canonico ad judicata. 1193. 165

LVIII.

LVIII.

Conradus Epiſcopus Argentinenſis terminos ſylvarum inter homines de Molsheim, de Mutzig, de Urmatt & de valle Haſelacenſi aſſignat. 1194. 167

LIX.

Conradus Epiſcopus Argentin. confirmat concambium initum inter Godefridum Abbatem Novi Caſtri & inter Billungum plebanum in Hochfelden. 1194. 169

LX.

Coeleſtinus III. PP. confirmat & amplificat bona & privilegia Abbatiae Baumgartenſis. 1195. 170

LXI.

Henricus VI. Imp. & Rex ſiciliae Abbatiae Neoburgenſis bona & poſſeſſiones confirmat, eidemque jus paſcui & lignorum in ſacra ſylva concedit. 1196. 178

LXII.

Albertus Comes Dagsburgenſis Abbatiam Baumgartenſem in ſuam protectionem ſuſcepit & plurimas ei factas donationes confirmat. 1197. 181

LXIII.

Innocentij III. PP. bulla ad canonicos Cathedralis Eccleſiae Argentinenſis circa praebendam dictae Eccleſiae Friderico Praepoſito S. Thomae collatam. 1198. 183

LXIV.

Ulricus de Gotenburc donationes monaſterio Pariſienſi ab avo & avia ſua factas recenſet. C. 1199. 184

LXV.

Philippus Rex Rom. monaſterij omnium ſanctorum fundationem confirmat. 1200. *pag.* 187

LXVI.

Conradus Epiſcopus Argentin. curiam quamdam juxta palatium ſuum in Argentina ſitum monaſterio S. Fidis in Sletſtadt concedit. 1200. 188

LXVII.

Notitia fundationis & bonorum Abbatiae ſancti Leonardi, conſcripta C. 1200. 189

LXVIII.

Conradus Epiſcopus Argentin. componit diſcordiam inter eum ortam & praedeceſſores ſuos atque Rudolphum Comitem Habsburgenſem & ejus parentes ſuper Advocatia Rubeacenſi & allodio in Thierbach. 1201. 194

LXIX.

Conradus Argentin. Epiſcopus Marbacenſi Eccleſiae cenſus, quos illa in curte Dominicali Rubeacenſi debebat, remittit & concedit. 2101. 197

LXX.

Decanus & Capitulum Argentinenſis Eccleſiae decimas in Harthauſen Petro Abbati Neoburgenſi & ejus Abbatiae in ſynodo adjudicant. 1201. 198

LXXI.

Conſtitutio Henrici Argentinenſis Eccleſiae Praepoſiti circa menſuram in Lampertheim Wernhero Kalb & Conrado ejus filio locatem. 1202. 202

LXXII.

LXXII.

Conradus Argentin. Epiſcopus confirmat donationem Monaſterio Schwartzendan a Collegiata Lautenbacenſi factam. 1202. *pag.* 206

LXXIII.

Innocentij III. PP. Gerungo Praepoſito bona & privilegia Monaſterij omnium ſanctorum in Nigra ſylva confirmat. 1203. 207

LXXIV.

Albertus Praepoſitus Eccleſiae Majoris Argentinenſis vice Henrici Electi terminat litem inter Praepoſitum S. Fidis in ſeleſtadt & plebanum ejusdem oppidi circa ſepulturas mortuorum. C. 1203. 210

LXXV.

Charta Gerhardi Abbatis Neo Villarienſis de quodam manſo monaſterij Neoburgenſis in Wilshauſen. 1204. 213

LXXVI.

Philippus Rex Rom. de conſtructa ſuper rupe Winſtein domo a Petro Abbate Novo Caſtri. 1205. 214

LXXVII.

Innocentius III. PP. Henrico Argentinenſi Electo confirmat jus patronatus in cella Vilmari a Bertholdo comite de Nuwenburg conceſſum. 1205. 215

LXXVIII.

Henricus Argentin. Epiſcopus Adriani PP. bullam de 774. *renovans canonicos Eccleſiae Cathedralis in juribus Archidioconalibus reſtituit.* 1205. 217

LXXIX.

Philippus Rex Rom bona feudalia acquiſita a Wernbero de Ettendorff & fratribus de ſchillersdorff Abbatiae Neoburgenſi confirmat. 1205. *pag.* 218

LXXX.

Fridericus Dux Lotharingiae praedium Breidenbach in Lotharingia Abbatiae Neoburgenſi reſtituit. 1207. 220

LXXXI.

Philippus II. Rex Rom. hoſpitale Hagenoënſe ordini Praemonſtratenſi ſubjectum in ſuam recipit protectionem, bonaque & poſſeſſiones illius confirmat. 1207. 222

LXXXII.

Henricus Epiſcopus Argentin. Bertradem nobilem Dominam cum fratre & filijs declarat miniſterialem Eccleſiae Argentinenſis. 1208. 225

LXXXIII.

Innocentius III. PP. confirmat Abbatia Neoburgenſis bona, jura & privilegia. 1208 227

LXXXIV.

Henricus Argentin. Epiſcopus aſſerit Abbatiae Novi Caſtri jus patronatus in Dunnenheim. 1208. 235

LXXXV.

Henricus Epiſcopus Argentin. confirmat inſtitutionem Vicariae perpetuae in Scherweiler. 1208. 236

LXXXVI.

Sigebertus comes Werda quaedam bona in Rotbach concedit Abbatiae Regiſpontanae. 1208. 238

LXXXVII

LXXXVII.

Ceſſio allodij in Lienenhauſen. 1208. *pag.* 239

LXXXVIII.

Concordia inter Abbatias Hohenburgenſem & Pariſienſem circa decimas in Attenweiler. 1209. 243

LXXXIX.

Otto IV Rex Rom. Abbatiae Novi Caſtri privilegia, jura & poſſeſſiones renovat. 1209. 245

XC.

Henricus Epiſcopus Argentin. Abbatiae Neoburgenſis curiam in Harthauſen confirmat. 1209. 247

XCI.

Concordia inter Epiſcopum Conſtantienſem & cives Rubiacenſes. 1209. 250

XCII.

Wolframus Abbas Weiſſenburgenſis in gratiam Abbatiae Novi Caſtri omni juri ſuo in jus patronatus & Decimas Eccleſiae Dechendorff renunciat. 1209. 252

XCIII.

Sigebertus de Werda Abbatiae Novi Caſtri concedit paludem juxta curiam Harthauſen. 1210. 259

XCIV.

Innocentius III. PP. perſonas & bona monaſterij Marbacenſis in ſuam protectionem recipit. 1211. 260

XCV.

Henricus Epiſcopus Argentin. monachos S. Valentini in Ruffach ab omni cenſu liberat. 1211. 261

XCVI.

Donatio vinearum in Ebinheim Abbatiae Regio pontanae facta. 1211. pag. 262

XCVII.

Inſtrumentum quo Heinricus Epiſcopus Argentinenſis collaudat concambium inter S. Blaſium & Burggravium circa aream prope portam boum. 1211. 263

XCVIII.

Fridericus II. Rex Rom. Abbatiae Neo-Caſtrenſi allodium Hartbauſen confirmat. 1212. 264

XCIX.

Henricus Epiſcopus Argentin. componit quaeſtionem inter Abbatem novi caſtri & plebanum in Ingweiler. 1212. 266

C.

Capitulum Lutenbacenſe fraternitatem inter Marbacenſem & ſchwartzthannenſem Eccleſias inſtituens huic monaſterio ſchwartzthann decimas quasdam remittit. 1212. 267

CI.

Fridericus II. Rex Rom. jura ſua in advocatiis Monaſteriorum Cellae S. Ulrici & in ſelden atque in bonis ſitis in Riegel & Herboltzheim Henrico Epiſcopo Argentinenſi reſignant. 1213. 269

CII.

Theobaldus Dux & Marchio Lotharingiae donationem juris patronatus in Reichhofen & aliorum bonorum Abbatiae ſtürzelbronenſi factam confirmat. 1213. 272

CIII.

CIII.

Fridericus II. Rex Rom. prohibet, ne Argentorati habeantur judicia temporalia, neque bona, quae dicuntur Almende, conferantur, niſi de conſenſu & manu Epiſcopi. 1214. *pag.* 273

CIV.

Henricus Epiſcopus Argentin: ordinat, ut monaſterium S. Leonardi Praepoſiturae Argentinenſis Eccleſiae ſit annexum. 1214. 275

CV.

Fridericus II. Rom. Rex donationem tredecim hominum monaſterio Königsbrücken factam roborat. 1214. 277

CVI.

Charta Walteri Abbatis ſelſenſis de compoſitione inita inter Alberonem Abbatem novi Caſtri & Eberhardum circa decimas in Laubach. 1214. 278

CVII.

Adelaidis Abbatiſſa Andlavienſis montem Salemberg monaſterio Baumgartenſi concedit cum fratribus dicti monaſterii confraternitatem inſtituens. 1214. 280

CVIII.

Albero Abbas Neoburgenſis duas in ſacra ſylva paludes prope ſuffelnheim monaſterio ſuo acquirit. 1215. 282

CIX.

Albero Abbas Neoburgenſis memorat donationem monaſterio ſuo ab Henrico plebano factam. 1215. 284

CX.

Ceſſio domus intra Argentinam Coenobis Kunigsbrücken facta. 1215. *pag.* 286

CXI.

Henricus Epiſcopus Argentin. hominibus ſuis in Ruffach fundum pro annuo cenſu concedit, ut ibi aedificent habitationes. 1216. 288

CXII.

Summum Capitulum Argentinenſe Theoderico Burggravio ejusque haeredibus decimas bonorum in Sulzmatt pro ſex carradis vini rubei concedit. 1216. 290

CXIII.

Honoribus III. PP. Gerungo Praepoſito Omnium Sanctorum in nigra ſylva bona & privilegia hujus monaſterii confirmat. 1217. 291

CXIV.

Fridericus Rex Rom. Praepoſito & monaſterio S. Fidis in ſeleſtadt concedit praedia, ab ipſo vice verſa recipiens in eadem civitate bannum vinis. 1217. 292

CXV.

Inſtrumentum ceſſionis cujusdam juris ſuper bonis ſitis in Pfaffenheim ſub Arnoldo II. Abbate S. Blaſii. 1254. 295

CXVI.

Inſtrumentum aliud ſuper dicta ceſſione ſeu reſignatione bonorum in Pfaffenheim. 1287. 296

CXVII.

Anonymi Chronicon ſuevico - Bavaricum ab an. MCCCLXXVII—MCCCCXLV. veteri idiomate germanico conſcriptum. 297

CXVIII.

CXVIII.

Eraſmi Artz continuatio praecedentis Chronici ab anno MCCCCXLVII—MCCCCLII. *pag.* 323

CXIX.

Synodus Ratisbonenſis habita an. MCCCCLXVI. 337

CXX.

De feſto Conceptionis beate Mariae Virginis in Eccleſia Mindenſi peragendo. 1300. 376

CXXI.

Super XX ſolidis annuatim Capitulo Mindenſi dandis de Officio Runnebergbe. 1321. 377

CXXII.

Quod curia in Bructorp & tres manſi in Bordere reemi poſſint &c. 1321. 378

CXXIII.

Super una curia in Dusborne impignorata Eccleſie ibidem ſalva annua penſione. 1321. 379

CXXIV.

Super uno manſo in Campo Mindenſi. 1322. 380

CXXV.

Super decima in Erdern. 1322. 381

CXXVI.

Bona feudalia Godefrido Epiſcopo Mindenſi reſignantur. 1322. 382

CXXVII.

Super certis bonis in Pepingehuſen. 1322. 382

CXXVIII.

CXXVIII.
Super Caſtrum Gherenberch. 1323. pag. 384
CXXIX.
Super certis litonibus. 1323. 384
CXXX.
Upp dat Gobrichte to Vrylde &c. 1323. 385
CXXXI.
Uppe dat Ghogerichte to Dankerdiſſen. 1323. 386
CXXXII.
Super litonibus in parochia Leveſte. 1323. 387
CXXXIII.
Super IIII. manſis in Hulſede & decima in Meynerdeſſen. 1324. 387

Vale Lector Amice! Dabam apud Vangiones XV. Kalend. Decembris, MDCCLXXXVII.

I.

HENRICUS IV. REX ROM. ECCLESIAM *RUEGGISBERG* IN HELVETIA CONCEDIT ABBATIAE CLUNIACENSI.

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. *Henricus* divina favente clementia Romanorum quartus Rex: quoniam regalem dignitatem decet juſticiam & pietatem neceſſitatibus eccleſiarum ſucurrere, profectibus gaudere & utilitatibus conſulere & favere, ob hanc rem, que in litteris iſtis agenda ſequuntur jubente matre mea *Agnete* Auguſta, quae cum Apoſtolici *Gregorii* VII. Legato *Geroldo* Hoſtienſi Epiſcopo & Cardinalium primo praeſens aderat, & ob interventum Moguntinenſis Archiepiſcopi *Sigefridi*, Colonienſis Archiepiſcopi *Annonis*; Trevirenſis Archiepiſcopi *Utbonis*. Metenſis Epiſcopi *Heremanni*, Wirceburgenſis Epiſcopi *Adalberonis*, Wormatienſis Epiſcopi *Adelberonis*, Spirenſis Epiſcopi *Einhardi*, argentinenſis Epiſcopi *Wernheri*, Lauſonenſis Epiſcopi *Burchardi*, Sedunenſis Epiſcopi *Ermefridi*, Suevorum Ducis *Rodolphi*, Saxonum Ducis magni. Lotharienſium Ducis *Gothofridi*, Palatinorum *Heremanni*, *Mangoldi*, *Ratbodonis* Marchionum *Heremanni*, *Utbonis Eggeberti*, Comitum *Wernheri*, *Wolmari*,

Chunonis de Burgundia, aliorumque multorum noſtri Regni Principum interpellationem miſericorditer ſuſcepimus, ordinandum clementer diſpoſuimus comprobando diligenter confirmavimus, Notum igitur fore volumus & cupimus omnibus *Chriſti* fidelibus, tam futuris quam preſentibus: quod quidam illuſtris vir nomine *Lutholdus de Caſtello Rumelinga*, cum fratre ſuo *Reginfredo* & filiis ejus conſentientibus quorum haec ſunt nomina, Primogenitus *Odalricus*, *Luitprandius*, *Notgerus*, *Burkardus*, *Rudolphus*, donavit per manum *Bertholfi* Ducis, filii *Rudolphi*, Patre ipſo Duce jubente in hoc placitu advocati Eccleſiam de *Roggeresberc*, cum tali recto, quod undequoque ipſis in ea parte videbatur, & inſuper allodium eorum quod eidem Eccleſie ſub prefato Duce *Rodolpho* contradiderat in fide: conſtructam autem ipſam Eccleſiam & allodium ſuum in regno meo, in Lauſonenſi Epiſcopatu, in Pago nomine *Ufgowe*, in Comitatu Bargenſi, donavit cum laudamento fratris ſui *Reginfredi* & filiorum ejus ſupra nominatorum Deo & Sanctis ejus apoſtolis *Petro* & *Paulo*, & Domino *Hugoni* abbati, tunc praeſenti & ſucceſſoribus ejus ad locum Cluniacenſem, pro ſalute animae ſuae & uxoris ejus *Guthae*, pro ſalute fratris ſui *Reginfredi* & filiorum ejus, pro remedio defunctorum parentum amborum & pro conſolatione in poſteritate ſua futurorum: ob memoriam quoque Regum, Epiſcoporum, principum & omnium praedictae Cellae ſtatum & honorem diligentium ac defendentium atque omnium prorſus Chriſti fidelium ut in ordine monaſtico per-

perpetualiter inibi ſerviatur Domino: Ipſi vero ibidem famulantes Deo monachi ſub regula & ordine Cluniacenſi, Liberam habeant, ut dignum eſt de ſua propria cauſa poteſtatem ſuis neceſſitatibus omnimodis providere, uti ac vivere, tantum ut cenſum reddant ad *Cluniacum*, per ſingulos annos aureum denarium in natali apoſtolorum *Petri* & *Pauli*; Igitur Ego *Henricus* Dej gratia Romanorum quartus Rex Sancti Spiritus inſtinctus propter ſpiritalis Patris *Hugonis* abbatis praeſentium, una cum matre mea *Agnete* tunc Auguſta per manum praefati Ducis *R.* vicinum loco & adjacens deſertum quoddam juris Regni mei ſcilicet nemus adhuc viride donavi eidem Eccleſiae de *Roggeresberc* & monachis inibi Deo & ſanctis ejus apoſtolis *P.* & *P.* ſub ordine Cluniacenſi famulantibus pro remedio animae meae pro remedio Patris mei defuncti propter ſpem aeternae vitae, ob remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum ob ſalutem corporum & ſempiternam animarum requiem ob cottidianam noſtri memoriam prolisque meae in futurum, eo pacto & ea conditione, ut praedictae Eccleſiae monachi cum hominibus ſuis exſtirpent, ac ſuccidant illud ac enervant, atque laborantibus agricolis ad ſuccidendum & exſtirpandum collocent donec in cottidianos uſus ſuos bene redigant. Terminus vero ejusdem ſilvae ac deſerti circa montem Gucham extenſus, in longitudinem & latitudinem ubique nemoroſus & incultus per circuitum dicitur, conſtitutus de monte Ganbach ubi oritur, uſque ubi cadit in nigram aquam primus terminus: ſecun-

 dus

dus rurſus de Monte Ganbach uſque ad Lupach & ab ortu ejusdem fluvii, uſque ubi cadit in Senſunam: tertius de Lupbach uſque ad fluvium Gucham, ubi ille cadit in Senſunam: quartus ab illo uſque ad Ioringeſperin: quintus usque ad Lynebirgam, ſextus inde usque ad ſcutum ſeptimus de ſcuto ad Coecum fluvium: octavus de Coeco fluvio usque in Rubeum fluvium, & ſicut idem Rubeus fluvius cadit in nigram aquam: nonus de nigra aqua iterum usque ad montem Ganbach, eruntque omnes termini ſimul conjuncti novem. Decretum eſt igitur a me & a matre mea *A.* auguſta & a praenominato apoſtolici legato G. atque ab archiepiſcopis, Epiſcopis, publica cum authoritate, banno impoſito confirmatum, a Ducibus etiam & Palatinis, marchionibus, comitibus & omnibus inferioris dignitatis principibus collaudatum, ut nulli omnino hominum, ſive ditiori ſive pauperiori poſthac liceat in eodem loco, vel in eadem ſilva aliquas proprietatis conditiones non haereditarii juris, non advocatiae nec cujuslibet poteſtatis, uſurpatione quae libertati monaſterii noceat, ſibimet vindicare, vel temere perturbare, aut ſubditos ei poſſeſſiones auferre vel minuere, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, huic decreto communi, propter firmam & ſtabilem ejusdem monaſterii libertatem, ex regia noſtra authoritate addimus etiam hoc & fixum ſtatuimus, ut ſi qua perſona eccleſiaſtica vel ſecularis hujus conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire

nire tentaverit, vel aliquid a ſupradicto monaſterio, temerarie vel injuſte abſtulerit, ſemel ac ſecundo, tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, ablatumque reddiderit, is noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum Regum poteſtate coactus XXX auri libras ad Regis aerarium perſolvet, primitus eccleſiae reddito eo, quod injuſte abſtulerat, & poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reumque de divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat atque in apoſtolici usque praeſentiam, a ſacratiſſimo corpore Domini *Ieſu Chriſti* alienus fiat, & in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Ut ergo haec ſupra dictarum traditionum & conſtitutionum decreta, omni aevo ab hac die in *Chriſto* rata & inconvulſa permaneant, hanc Chartam & teſtamentum manu propria corroboravimus noſtrique ſigilli impreſſione inſigniri curavimus —

Hiltulfus archi cancell. . . . . . cancell. vice *Annonis.*

1788

Data VI. Calendas april. anno Domini: incarnat: MLXXVI. Indict. XIV. anno vero D. *Henrici* IV. XXI. actum in *Wormatia.*

II.

IDA BOLONIENSIS COMITISSA CUM FILIO *GODEFRIDO* DUCE BONA QUAEDAM TRADIT ABBATIAE AFFLIGEMIENSI.

Ex autographo ejusdem Abbatiae. (a)

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Ego *Ida* Bolonienſium comitiſſa humilis Chriſti ancilla cunctis in fide manentibus gaudia promereri promiſſa fidelibus. notum fieri cupio tam preſentibus quam futuris ſignum meae dilectionis erga Dominos meos & fratres, videlicet monachos Cenobii Novi monaſterienſis, cui vocabulum *Haffiingen* inditum erat ab antiquis, quoniam quidem mihi, multisque complacuit eorum converſatio, & religionis effectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum ſperare, ſed has potius cum eis participare, igitur in allodio meo & villa, quae vocatur *Ganapia* pro ſalute animae meae, Patris quoque mei Ducis *Godefridi*, & comitis *Euſtachii* Domini mei Eccleſiam cum decimis, & univerſis ejus redditibus firmiter, perpetuoque jure tenendam dedi ſupradictis fratribus, in id ipſum filiis meis *Godefrido*, *Euſtachio*, & *Balduino* mihi cooperantibus filius quoque meus Dux *Godefridus* in eadem Villa *Ganapia* quinque manſos terrae donavit eisdem fratribus, ad quos ego poſtea in augmentum conceſſi quasdam partes circumjacentes, plane ſextum manſum continentes ab omni comitatu, & cenſu tributario liberas, & expertes, inſuper autem

tem quicquid ſibi vendicabant, quippe quod a prioris doni tempore poſſederant & uſibus ſuis adſignaverant, ſive in ſilvis, ſive in paſcuis, ſive in ſartis, & conceſſi eadem libertate qua tenui, ſed & omne participium in ſilva, & reliquo uſuario communi: in hoc nihilominus filiis meis conſentientibus mihi factum eſt autem hoc apud trajectum in Eccleſia ſancti *Servatii* confeſſoris, preſentibus etiam reliquis ſanctae *Gertrudis* virginis pro ſimili negotio illuc tunc allatis. ut autem haec traditio omnibus retro ſaeculis rata & inconvulſa permaneret, omnem rem, uti geſta eſt, Litterarum memoriae commendavimus, & ſigillis noſtris, Ego & filius meus *Godefridus* roboravimus, & teſtes idoneos, qui huic rei interfuerunt ſubter ſignavimus. S. *Lamberti* noſtri Capellani, S. *Rotberti* capellani, S. *Gerardi* Comitis de *Gelre* & fratris ejus *Henrici*, S. *Godescalci de jace* S. *Heinrici de Cue*, S. *Arnulfi de Rode*. S. *Cononis de Montaut*. S. *Theoderici de Bemele*. *Heinrici* de *Birbaica* S. *Balduini* de *Oſtruic*. S. *Walteri* de *Grimberges*, S. *Reineri* advocati Leodicenſis. Denique deſcriptis teſtibus, & illud notum facimus, quod Comes *Heinricus*, qui eamdem villam in beneficium a nobis tenuit, duobus annis antequam haec donatio confirmaretur, nobis reddiderit ad opus fratrum, quod ad eum pertinuit. factum eſt hoc anno incarnationis Domini Milleſimo Nonageſimo Sexto, Indictione quarta, regnante Domino noſtro *Ieſu Chriſto*. anno etiam profectionis Chriſtianorum contra paganos *Hieruſalem*.

(a) Extat apud *Miraeum Oper. Dipl. T. I. p. 77.* & *Iuſtel hiſtoire Genealogique de la maiſon d'Auvergne, preuves pag. 62.* ſed minus correcte.

III.

CONFIRMATIO FUNDATIONIS CELLAE SANCTAE *MARIAE.*

Ex autographo Tabularij Abbatiae *S. Mariae* in Nigra ſylva.

O*tto de Rinegg* Vicarius Reverendi in Chriſto Patris Domini *joannis* electi & confirmati Eccleſie conſtantienſis in ſpiritualibus & temporalibus generalis. Omnibus preſencium inſpectoribus ſubſcriptorum noticiam cum ſalute. Noveritis nos literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Dñi *Honorii* Pape ſecundi non abolitas non Cancellatas non in aliqua ſui parte corruptas ſed omni ſuſpicione carentes vera bulla plumbea cum filo ſericeo bullatas cum reverentia qua decuit recepiſſe & de verbo ad verbum perlegiſſe quarum tenor eſt talis. *Honorius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in *Chriſto* filiis *Othoni* abbati ejusque fratribus canonicam regulam profeſſis in Eccleſia ſancte *Marie* ſita in Briſaquenſi comitatu in loco qui nigra ſilva dicitur eorumque ſucceſſoribus in eadem religione per omnipotentis Dei graciam permanſuris in perpetuum. Adhoc in apoſtolice ſedis regimen promoti eſſe Deo diſponente con-

conſpicimus ut aures noſtras juſtis peticionibus comodemus & religionem propagare in quantum dederit Dominus debeamus, quia igitur vos in Chriſto cariſſimi filii per divinam graciam aſpirati mores veſtros ſub regularis vitae diſciplina continere & communiter ſecundum ſanctorum Patrum inſtitucionem Omnipotentj Deo deſervire propoſuiſtis nos votis veſtris paterno gratulamur affectu, unde eciam peticioni veſtre benignitate debita impertimur aſſenſum & vos omnemque locum veſtrum in tutela apoſtolice ſedis excepimus quem videlicet Romane cenſualem Eccleſie facere decreviſtis conſilio & inſtinctu argentinenſis prepoſiti *Brunonis* egregie ſtrenuitatis viri qui Eccleſiam veſtram impenſis ſuis in allodio ſuo conſtruxit & bonorum ſuorum ac poſſeſſionum collatione dotavit viteque canonice ordinem quem profeſſi eſtis privilegii auctoritate firmamus. Et ne cui poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere neve ſine abbatis vel congregacionis licentia de clauſtro diſcedere liceat interdicimus. Obeunte ſe nunc ejus loci abbate vel ſuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtucia ſeu violencia proponatur niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem regulariter providerunt eligendum. Nullusque illi electioni ſe ingerat niſi quos religioſos viros congregacio veſtra vocaverit In advocati autem veſtri electione Abbas liberam habet poteſtatem cum fratrum ſuorum conſilio talem eligere, quem ad defenſionem libertatis monaſterii bonum & utilem eſſe cognoverit

 Qui

Qui ſi calumniator pocius quam advocatus exiſtens bona monaſterii pervaſerit & non magis ea defenderit abbas habeat facultatem cum fratrum Conſilio alium ibi utiliorem ſtatuere advocatum. Ordinaciones Clericornm conſecrationes altarium ſive Baſilicarum ab Epiſcopo in cujus dioeceſi eſtis accipietis ſi quidem graciam atque communionem apoſtolice ſedis habuerit ac ſine pravitate poſtulata voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis Catholicum quem malueritis adire antiſtitem & ab eo ſacramenta ipſa ſuſcipere. Qui ſancte ſedis apoſtolice fultus auctoritatę indulgeat. Sane circa coenobii veſtri ambitum occaſione qualibet aſſultum fieri prohibemus. Si vero quod abſit forte contigerit in atrio veſtro vel in effuſione ſanguinis vel in verberum elatione ſive in aliquo hujusmodi violenciam irrogari nequaquam propter hoc a divinis Eccleſia veſtra prohibeatur officiis niſi commune per parochum fuerit interdictum. Porro laborum veſtrorum vel annualium dęcimas que penes ipſum locum veſtris ſumptibus & laboribus excoluntur vel nutriuntur, quietas vobis & illibatas manere cenſemus. Nec vos ſuper hoc aut ab Epiſcopo ejusdem dioeceſis aut ab aliquo inquietari permittimus. Concambium quod factum eſt inter Eccleſiam veſtram & ſancti *Galli* apoſtolica precipimus auctoritate in omne de hinc tempus inviolatum fore. Sepulturam quoque ipſius Coenobii omnino liberam ſancimus eſſe ut eorum qui illic ſepelliri deliberaverint devocioni & extreme voluntati niſi forte excommunicati ſint nullus obliviſcatur. Ad hec adicientes ſtatuimus ut quecun-

cunque bona quecunque poſſeſſiones Eccleſie veſtre vel à predicto conſtructore vel ab aliis fidelibus de ſuo jure oblate vel aliis juſtis modis acquiſite ſunt & quecunque in futurum conceſſione Pontificum vel oblacione fidelium juſte atque Canonice acquirentur firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant quamdiu ſcilicet illic canonici ordinis tenor Domino preſtante viguerit. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere minuere vel temerariis vexationibus fatigare. ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Ad judicium autem percepte hujus a Romana Eccleſia tuicionis ſtolam ſacerdotalem per ſingula biennia Romano Pontifici perſolvetur Si qua in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit ſecundo tertioque commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit poteſtatis honorisve ſui dignitate careat reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat & a ſanctiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* aliena fiat atque in extremo examine diſtricte ulcioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti.* Quatinus & hic fructum bone actionis percipiant & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant: ſalva epiſcopali juſticia amen. Datum *Laterani* per manum *Almerici* ſancte Romane Eccleſie

cleſie Diaconi Cardinalis & Cancellarii quinto Kalendas decembris. Ind. IIII. anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo vigeſimo quinto. Pontificatus autem Domini *Honorii* ſecundi Pape anno primo. In cujus viſionis & perlectionis teſtimonium quia contenta in eadem Litera prima facie rite ac vere videntur eſſe geſta racionabiliterque indulta ſigillum noſtri vicariatus preſentibus duximus appendendum. Datum *conſtantie* anno Domini M°CCC L^mo^ tercio XII. Kl. menſis ſeptembris indictione ſexta.

IV.

PACIFICATIO INTER MONASTERIUM D. *PETRI* ET CELLAM S. *MARIAE.*

Ex Autographo *S. Mariae* Abbatiae in nigra ſylva.

In nomine ſancte & individuae Trinitatis. Notum ſit omnibus tam futuris quam praeſentibus qualiter ego *Theodewinus* ſanctae *Rufinae* Epiſcopus Cardinalis & apoſtolicae ſedis legatus a latere Domini Papae *Innocentii* pro corrigendis & ſtatuendis quibusdam in partes teutonicas miſſus fui. Scilicet inter cetera duo monaſteria in nigra ſilva ſita. ad jus beati *Petri* pertinentia adii, quorum alterum Dominus *Bruno* Cancellarius primo fundavit. & *Cellam* ſanctae *Mariae* appellando canonicos canonice ibi preeſſe ordinavit. alterum vero

vero Dex *Bertoldus* a ſe conſtructum. & in honore beati *Petri* conſecratum. monachos regulariter viventes poſſidere inſtituit, ipſos autem de terminis locorum utrobique ſibi adjacentium diutina controverſia litigantes inveni. Sed ego conſiderans diſcordia res labi maximas concordia creſcere minimas divina favente clementia bonorum virorum conſilio & auxilio ſecundum hoc quod quidam religioſi & ſapientes ante me diſpoſuerunt. huic liti finem impoſui niſi quod quedam pro pace, perpetualiter confirmanda ſicut inferius inſertum eſt ſuperaddidi. In preſencia enim Domini *V.* Venerabilis conſtancienſis Epiſcopi & Ducis *Bertoldi* & Domini *Bru.* & aliorum principum ſcilicet Domini *H.* Marchionis. *Friderici* de *Woluabe. Conradi* de *Zaringen* generi Comitis *Ber.* Cum quidam terminos per convalles circa capellas Sancti *Nicolai* extendere vellent. Tandem communi aſſenſu utrarumque partium omniumque judicio principum ut expulſa omni controverſia diabolicarum inſidiarum vera pax *Chriſti* inter eos firmaretur. fratres de cenobio Sanctae *Mariae* ſancto *Petro* duo beneficia quatuor ſolidos in tributo reddentia conceſſerunt. Sed nunc rurſus noſtro conſilio & precepto alia duo cum allodio in villa *Gottenheim* ſito, quod *Adalbero* eidem monaſterio poteſtative tradidit cum omnibus ad ſe legitime pertinentibus ſuperaddiderunt. Monachi autem de ſancto *Petro* beatae ſemperque virginis *Mariae* usque ad cacumina montium, ubi etiam planities equaliter inter eos divideretur. nihilominus benevole ſuos terminos extendere permiſerunt. Hoc igitur ut totum

totum replicetur per crepidinem montis a diruto caſtro *Wiſenecge* usque ad magnam vallem. in cujus extremo ſanctae *Margarethae* ſilvacenſis monaſterium ſitum eſt. planitie per medium diviſa, certi termini utrorumque ſicut prius deſignantur. Ut autem haec pacis compoſitio ſtabilis maneat & inconvulſa. ſcripto placuit confirmari. & ſigillo noſtro conſignari. Actum in Coenobio Sancti *Petri de monte* anno ab incarnatione Dñi M°CXXXVI° Indict. XIIII. feliciter amen.

Theodewinus Dei gracia ſancte *Rufinae* Epiſcopus Cardinalis & apoſtolicae ſedis legatus.

V.

ORTLIEBUS BASILIENSIS EPISCOPUS ANTIQUAM CONSUETUDINEM CAPELLAE B. *MARTINI* APUD *EGENESHEIM* INNOVAT.

Ex autographo tabularij Abbatiae Pariſienſis.

O*rtliebus* Dei gratia S. Baſilienſis eccleſiae epiſcopus omnibus tam futuris, quam praeſentibus in futurum. pontificalis officii eſt viros religioſos diligere & juſtis petitionibus Domino ſervientium omnimodis acquieſcere, eapropter notum eſſe volumus omnibus qualiter rogatu venerabilis fratris noſtri Domini *Anſelmi* abbatis *maurimonaſterii* antiquam conſuetudinem Capelle B. *Martini* apud *Egenesheim* quam ipſe & anteceſſores

res ſui ad uſque tempora noſtra habuerunt praeſente atque conſentiente *Adelberone* parochiano presbytero innovaverimus memoriae quoque ac firmitatis gratia literis mandaverimus ac ſigilli noſtri ſubter impreſſione roboravimus. in quarto anno Baſilienſi Epiſcopo in cujus dioeceſi ſita eſt 24 panes, menſuram vini que teutonice hama dicitur viginti denarios baſilienſis monetae modium farris ſolvere debet ſi quis de civibus ejusdem villae de praedio ſuo de qualibet ſubſtantia ſua eidem capellae dare voluerit, hoc ei omnino licet. quando aliquis ipſius villae aegrotat primo quidem parochianum presbyterum ad ſe vocare debet, poſtmodum vero etiam praefatae capellae monachum vocare atque ab eo benedici licet; ſiquis a parochiano presbytero petit ut apud B. *Martinum* ſepeliatur negare ei non debet ſed corpus ejus ibi cum monacho ſepeliat. In Dominicis diebus tantum idem parochianus ſacerdos in plebe ſana eccleſia miſſam prius celebret poſtea vero in capella monachus ſi voluerit, Cantet hac tamen cautione ut in divino officio nullum ex ipſis recipiat quos ei presbyter de culpa inobedientiae manifeſtat. privatis autem diebus ſive prius, ſive poſterius in capella cantari licet ſupradicta inobedientium cautione ſervata. ipſa autem Capella totumque ejus atrium ita in poteſtate monachi eſt ut nemo presbyterorum ibi cantare absque ejus conſenſu ut nemo etiam ſepulcrum viſitare absque ejus conſenſu debeat. ſiqua praeſumptio in ipſo atrio contigerit monacho ſatisfactio inde fieri debet. acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini 1145.

Indictio-

Indictione octava, *Eugenio* papante, *Conrado* feliciter regnante.

VI.

THEODERICUS COMES DE MONTE BILIGARDIS OMNIBUS ABBATIIS ORDINIS CISTERCIENSIS DEDIT CONDUCTUM PEDAGIUM ATQUE THELONEUM IN COMITATU SUO &c.

Ex autographo Abbatiae bellae vallis.

Ego *Theodericus* comes de *monte Biligardis* notifico tam futuris quam preſentibus, quod in obitu *Theoderici* filii mei, pro anima ejus & mea, dedi omnibus abbacijs ciſtercienſis ordinis, ſcilicet abbacie *bellevallis canratis*, *cariloci*, *clari fontis Betbanie*, *loci creſcentis*, *accincti*, ceterisque omnibus, conductum, pedagium, atque theloneum, quod a vulgo Venra vocatur, de omnibus que vendiderint vel emerint in omni comitatu meo; & que eundo & redeundo per terram noſtram duxerint, & ſigilli mei impreſſione ſignando confirmavi. Teſtes *Otto* de *Basviliz Borcardus* Canonicus de *Montebil*, Magiſter *Odilo* de Sancto *Iuliano*, *Narduinus* Capellanus de *Monte biligardi*, *Petrus excuſor*, *hugo* de *fonte mare*, *archenfud* monachus de *lucilla Golthenus Bellevallis*, *Vido clarifontis*, magiſter *amedeus* de *montifalconis*, *Odo* comes *de rupe*, *Vido* de *grangiis* & filius ejus *Guillelmus*, *Nar-*

Narduinus de *grandivillario*, *girardus* de *ſaunot*, *morannus* filius *Bernardi Groſſi*. Similiter ego *Theobaldus rubei montis*, quantum ad partem meam pertinet, de conducto pedagio & theloneo prefatis abbaciis conceſſi & ſigilli mei impreſſione confirmavi, teſtes *Vido Clariſontis*, *Galtherius bellevallis* & *regnaldus* de *Montbis*, *Morannus* filius *Brocardi groſſi*, *aymo notardus*, *petrus* praepoſitus. Actum *montis billigardi* anno ab incarnatione Domini MCLI°. regnante *friderico* Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto.

VII.

FRIDERICUS I. IMP. IURA AC POSSESIONES ABBATIAE HUGSHOVIENSIS CONFIRMAT. Dat. XXIV. Octobris M.C.LX.III.

Ex libro ſalico Abbatiae Andlavienſis fol. 16. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis, patris & filii & ſpiritus ſancti, *Fridericus* divina favente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Imperialem noſtri nominis excellentiam ſcimus exigere, immo ad ſtatum regni, & ad ſalutem anime noſtre multum proficere, quosque divini ſervitii amatores, ut ſine querela in Dei perſiſtant laude, liberalitatis noſtre ſuſtentaculo confortare, maxime autem eos, quorum laboris devocio divino pre ceteris invigilat obſequio. ut enim eccleſiarum defenſionem ad Regii nominis potentiam pertinere ſcimus, ita ſervos Dei pro

 noſtro

noſtro regni ſtatu ſupplicaturos omnipotenti eſſe confidimus, proinde omnium Chriſti noſtrique fidelium noverit univerſitas, qualiter anno Incarnationis Domini milleſimo, indictione VII, regnante *Ottone* III, Romanorum Imperatore & patricio, *Wernberus* comes de *Ortenberg* divine remuneracionis ſpe ductus, cenobium *Hugesboven* in honore ſancti *Michabelis* archangeli, omniumque celeſtium virtutum in Epiſcopatu argentinenſi, in ſilva *Woſagus* appellata, ſecus flumen *Scheram* conſtruxit, illudque cum omnibus ſuis appendiciis beato *Petro* apoſtolo, & Romane Ecleſie in perpetuam proprietatem delegavit; hac quidem racione, & condicionis determinatione, quatenus idem locus pro aureo uno annualiter perſolvendo apoſtolice ſedi ſubjectus perpetuali libertate ſit ſtabilitus & confirmatus. Siquis quoque miniſterialium ſuorum, vel familie ſue in ejus preſencia vel abſencia de prediis, ſeu de rebus ſuis ad eundem locum tradiderit, ejus conceſſione & licencia atque inſtitucione firmum & ſtabile fore conſtituit. Porro & nos divina miſeracione licet immerito ad regni gubernacula promoti, id ipſum monaſterium ſpecialiter ob archangelum honorantes, patrocinium noſtrum ei deinceps in aliquo devoti cupimus opitulari perhenniter, imperiale ſuffragium, tum pro ſuperni regis benigna remuneratione tum pro ipſius archangeli neceſſaria ſubvencione, tum precipue pro ſpirituali anime noſtre liberatione, tum denique pro generali tocius imperii ſalvatione. Nos itaque juſte rationis intuitu ipſi venerando archangelo celeſtis milicie ſigni-

ſignifero glorioſo, paradiſi prepoſito, tantillum hoc voluntarii, etſi non digni preſtamus idque imperatoria predicti poteſtate in jus legitimum illi confirmamus, ut videlicet quicunque in alſacienſi provincia vel in certis regni noſtri provinciis, ſive argentinenſis Eccleſie, ſive cujuscunque Eccleſie miniſterialis, vel ſervilis condicionis homo, libere ac ſine omni contradictionis ſcrupulo, tam de prediis, quam de rebus propriis eidem monaſterio imperialis authoritate majeſtatis ſuffulto debeat & poſſit venundare, vel mutuare, vel gratis erogare. Verum quia & negligentia praelatorum jam dictum Cenobium usque in preſens nulla privilegii auctoritate a regia majeſtate confirmatum eſt, nos per hanc imperialem paginam confirmamus, & contra pravorum omnium infeſtacionem preſentis privilegii auctoritate munimus eo tenore, ut ſub tutela romane eccleſie monachi ſecundum regulam ſancti *Benedicti* perpetuo ibi Deo ſerviant, & quecunque predia, ſive poſſeſſiones a primis ſuſcepere fundatoribus, ſeu per commodum liberalitate principum, conceſſione pontificum, vel aliorum oblatione fidelium juſte & legaliter adepti, vel adipiſci in futurum potuerint, rata & inconvulſa illis permaneant. hoc quoque nominatim adijcientes, ut idem ſancti *Michaelis* archangeli Cenobium cum omnibus ſuis pertinentiis ab omnium quorumlibet hominum incurſione ſit liberum, & ab Epiſcopi argentinenſis, nec non epiſcoporum omnium, ſeu epiſcopalium miniſtrorum omnimodis ſerviciis & gravaminibus ſit alienum. Ad corroborandum vero

 ejus-

ejusdem loci libertatem, ſtatutum eſt, ut congregatio monaſterii liberam habeat poteſtatem & electionem abbatis, juxta decretum beati *Benedicti* ſine omnium contradictione ſubſtituendi; advocatum quoque locus isdem non habet alium, niſi quem communi, vel ſaniori fratrum conſilio abbas conſtituerit. is nulla violencia nulla inique dominacionis potencia, nulla exactione fratres monaſterii, vel familiam eccleſie in aliquo gravare preſumat. at ſi preſumpſerit tercioque admonitus emendare noluerit, amoto eo, idem abbas cum ſuis fratribus, quemcunque voluerit, advocatum ipſe ſibi conſtituat. Sane predia, quibus isdem locus usque in preſens ditatus eſt, haec ſunt, campi videlicet, ſilve, prata in ipſa valle adjacentia, ea comite *Wernhero* cum ſervis & ancillis eidem monaſterio tradita cum duabus eccleſiis baptismalibus ibidem ſitis (b), & alodium in *Regenesbach* (c) cum capella ſuisque attinentiis, & piſcatio usque ad *Lutenbach*, ligna quoque de Dominicali ſilva ad opus monaſterii & officinas clauſtri & fratrum uſibus neceſſaria. Predium apud *Mackenheim* (d), ab eodem comite traditum. ſed & uxor ejus *Hymeldrut* cum filio ſuo *Volmaro* allodium in *Northuſen* (e) ad eundem locum contradidit; *Berlint* ſoror comitis predium apud *Egensheim* (f) cum omnibus ſibi appendentibus & vineam in *Tieffenthal* (g) idem *Wolmarus* & *Heilka* predium apud *Heidolvisheim* (h) cum mancipiis & banno, prediumque in *Rymeſingen* (i) item predia a *Ludolfo* comite & *Donato* ſacerdote cum mancipiis & tribus eccleſiis baptismalibus (k); in lutrin-

tringia eidem loco tradita. Predium quoque apud *Flersheim* (m) ab *Adelberto* comite de *Habsburg* & uxore ejus *Iunta* cum eccleſia ac decimis, omnibusque predio eidem proſpicientibus ad eundem locum ſancto *Michabeli* traditum, itemque allodium apud *Schervillere* (n) cum omni jure ſibi proſpiciente ab eadem *Iunta* per manum *Udalrici*, ſcilicet fratris ſui, locique advocati eidem loco donatum. Poſſeſſiones quoque in *Tibtelenſem* (o), in *Talheim* (p), & in *Weſthuſen* (q), in *Ebersheim* (r), quoque & in *Tanbach* & *Epſiche* (s), nec non & in *Schervillere* & *Caſteneto* (t). Hanc igitur prefati monaſterii inſtitutionem atque libertatem ego *Fridericus*, Romanorum Imperator Auguſtus, ratam, ſtabilem inviolatamque nunc & im perpetuum fore per imperatoriae gravitatis edictum volo, ſtatuo atque decerno, ne quis unquam impius temerator tyrannico auſu quicquam rapere, ſibique uſurpare de rebus ejusdem eccleſie, quas ei quilibet Chriſtianorum contulerunt vel conlaturi ſunt preſumat. at quicumque preſumpſerit, viginti libras auri in cameram regis appendat, & quicumque ipſi Eccleſiae exſolvat, nec tamen quod affectare preſumpſit, obtineat. ut autem hec Imperialis noſtre confirmacionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora, domino auxiliante, melius conſervetur, hoc preceptum inde conſcriptum propria manu corroboramus, noſtrique impreſſione ſigilli inſigniri juſſimus. Cujus rei teſtes ſunt: *Hermannus* (u) Veronenſis Marchio, *Margwardus* (w) fuldenſis abbas. Ego *Cunradus* Moguntinenſis electus & archicancella-

 rius

rius recognovi. Acta ſunt hec anno dominice incarnationis M.CLXIII. indictione XI, regnante Domino *Friderico* Romanorum Imperatore victorioſiſſimo, anno regni ejus undecimo. Imperii vero octavo, feliciter amen. Data *Selſe* nono Kalendas Novembris.

(a) Ex antiqua verſione Gallica ſed minus ſincera gallice retulit ad an. 1000. *Calmetus hiſtoire de Lorraine Tom. I. preves pag. 386.* primae editionis & *Tom. II. p. 234.* ſecundae edit: illud vero ex libro Salico Abbatiae Andlavienſis latine edidit *Schöpflinus Alſat. Dipl. Tom. I. p. 251.* ſed cum aliquibus mendis.

(b) Duas illas Eccleſias baptismales ſive parochiales non deſignat diploma. videntur tamen eſſe Eccleſiae parochiales in *S. Martin* & in *Fouchy*, Abbatiae *Hugshovienſi* vicinae. Vici illi ſiti ſunt in valle Villeriana. Decimis & jure patronatus gaudet hodiedum Abbatia Andlavienſis juribus Hugshovienſium ſuccedens.

(c) Hodie *Roſchbach* ſive *Renrupt* vicus in quo Abbatia Andlavienſis dimidia gaudet parte decimarum, altera dimidia pars ſpectat ad parochum in *Colroy*, cujus parochiae patronatus eidem competit Abbatiae.

(d) Ibi redditus ſuos amiſit Abbatia.

(e) *Northauſen* ſive *Nartes* ſpectat ad Epiſcopum Argentinenſem.

(f) *Egisheim.*

(g) *Dieffenthal* a *Scherevilla* ſemileuca diſtans pertinet ad D. *de Choiſeul*, decimas percipit Abbatia Andlavienſis.

(h) hodie *Heidelsheim.*

(i) forte *Reiningen* dynaſtiae Thannenſis vicus inter poſſeſſiones Abbatiae *Hugonis Curiae* in bulla *Calixti* II. PP. an. 1120. memoratus.

(l)

(l) Praedia illa in Lotharingia ſita non indicat Diploma *Friderici*, verum eruuntur ex charta ſummi Capituli Argentin. an. 1244. qua approbat venditionem factam quorundam bonorum in gratiam *johannis* Abbatis *Altae Sylvae*, quae bona Abbatia *Hugonis Curiae* ab antiquo poſſidebat, ſcilicet curia de *Gironville* cum omnibus appenditiis ſcilicet cum eccleſiis parochialibus in *Gironville*, *Landange*, *Varengenille* & *Parux*.

(m) Bona ſua in *Flersheim* an 1237. fratribus S. *Mariae* Domus Teutonicae vendidit *jeremias* Abbas Hugshovienſis. *Adelbertum* illum Comitem de *Habsburg* & uxorem ejus *juntam* cum *Adelberto* Lotharingiae Duce & uxore *juditha* perperam confundit *Calmet T. cit. Col. CCXXXV. not. t.*

(n) *Scherweiler* in Vallis villerianae introitu ſitus pertinet ad D. *de Choiſeul Meuſe*, in quo Abbatia Andlavienſis cum Capitulo Majori Argentinenſi decimas conjunctim & jus patronatus alternative poſſidet.

(o) *Düttelnheim.* (p) *Dalheim.* (q) *Weſthauſen.* (r) *Ebersheim.* (s) *Dambach* & *Epfich.* (t) *Chatenoi.*

(u) Chartularii ſcriptor ex errore ſcripſit: *Hermannus Veronenſis Epiſcopus*, quem gallicus *Calmeti* interpres magis erronee vertit: *Hermannus Eveque de Verden.* cum an. 1162 non *Hermannus* ſed *Omni bonus* Veronenſi praefuerit eccleſiae. Ideo legendum: *Hermannus Veronenſis Marchio. Hermannus* ſcilicet IV. Marchio Badenſis, qui ad patris *Hermanni* exemplum *Friderico* Imperatori fidus adhaeſit atque acceptam ab utroque dynaſtiam *Veronae* poſſidere continuavit titulo *Marchionis Veronenſis* in Chartis frequenter inſignitus.

VIII.

BRUNO PRAEPOSITUS HASELACENSIS CONFIRMAT CONCAMBIUM CURTIS FACTUM AB *EKKEHARDO* CANONICO ET PAROCHO IN *SULTZ*. Dat. Anno M.C.LX.V.

Ex autographo Collegiatae Haſelacenſis (a)

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. *Bruno* prepoſitus avellanenſis eccleſiae, cum pro rebus eccleſiarum Chriſti diſponendis ac meliorandis jugis debeat prelatorum inſudare vigilantia, non parvum conſtat opere precium, ſi ea que fideliter ac ſolerter diſpoſuerimus, memoriae poſteritatis per litteras mandare curavimus. Ea propter notum eſſe volumus tam preſentibus, quam futuris cunctis fidelibus, quod dilectus frater noſter *Ekkebardus* Canonicus eccleſiae ſancti *florentii* ac beati *Mauricii* Sulcenſis b) paſtoris officio functus, curtim adjacentem eidem eccleſiae, noſtro pariter & advocati domni *Ottonis* de *Geroldeſecken* & *Boimundi* viceadvocati conſenſu duabus aliis curtibus concambivit, ea videlicet ratione, ut quicquid edificiorum, aut utenſilium ipſe in curti memorata conſtruxerit, eccleſia & ejus ſucceſſor, plebanus videlicet integraliter poſt ejus deceſſum poſſideat, utatur, & teneat. Quod ſi quis beneficialium dominorum, aut ipſius heredum contra hujus concambii Kartam, eccleſie noſtre ſigillo confirmatam, emerſerit, & hanc infringere temptaverit, iram Dei & beati *florentii* primitus incurrat, & quod repetit evendicare non valeat, ſed

ſed hec noſtri confirmatio, usque ad noviſſimam tubam, rata & inconvulſa permaneat, Actum ſollemniter in eccleſia memorata, anno Dominice incarnationis MCLXV. Indictione decima tercia, regnante ſereniſſimo Romanorum imperatore *friderico* primo, ſub venerabili argentinenſi Epiſcopo *Burchardo*, *Brunone* me autem prepoſito, *Ottone* de *Geroldeſecken* advocato, & hii teſtes: *Luidvrid*, *Druidelman*, *Bero*, *ſigevrid*, *Ricwin*. De villa praedicta *Reginhard*, *Saleman*, *Habo*, *Dietmar*, *Sigewald*, *Gerhard* & frater ejus *Cuono*, *Gebo*, *Gerhard*, *Friderich*, *Ludewic*.

(a) *Schöpflinus Alſ. Dipl. T. I. p. 252.* non bene refert ad an. 1162.

(b) *Sultz* prope *Moshemium* pertinens ad Epiſcopum Argentinenſem, in quo jure patronatus gaudet Praepoſitus Eccleſiae Collegiatae Haſelacenſis.

IX.

PASCHALIS III. ANTIPAPA FRATRIBUS MAIORIS ECCLESIAE ARGENTINENSIS CONFIRMAT STATUTUM *FRIDERICI* IMPERATORIS CONCERNENS EIUSDEM ECCLESIAE TRIBUTARIOS ET CENSUALES. Dat. XXXI. Jul. c. M.C.LX.V.

Ex libro ſalico ſummi Capituli Argentin. fol. 43.

P*aſcalis* ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *C.* Prepoſito, *P.* Decano, & ceteris Canonicis majoris Eccleſie argentinenſis ſalutem & apoſtoli-

 cam

cam benedictionem. Immobili debet eſſe firmitate ſubnixum, quod imperialis ſtatuit majeſtas, & apoſtolica confirmat auctoritas. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus, quas nobis per dilectum filium noſtrum *Heinricum* Archidiaconum veſtrum porrexiſtis, grato concurrentes aſſenſu, edictum imperiale, quod ſereniſſimus Imperator *Fredericus* ſemper Auguſtus in Epiſcopatu Argentinenſi promulgavit, & Epiſcopus veſter cum clero ſub diſcrimine officii & beneficii affirmavit, devocioni veſtre apoſtolica auctoritate confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes ut ſecundum ſtatuta ejusdem filii de cetero tributarii, Eccleſie veſtre ſtatutis temporibus jura vobis absque contradictione perſolvant, & ſi contumaciter ea usque ad feſtum Sancti *Andreae* retinere preſumpſerint, & ſatisfacere neglexerint, a jure proprio cadant, & ſi proterve adhuc retinuerint, anathematis gladio feriantur, & ad hec adijcimus, ut nemo Eccleſiam, aut atrium veſtre eccleſie violare preſumat, & qui fecerit, excommunicatus & infamis, prout in ſtatutis jam dicti filii noſtri decretum eſt, usque ad condignam ſatisfactionem habeatur. Nulli ergo omnino hominum fas ſit hanc noſtre confirmationis paginam temerarie infringere, aut ei aliquatenus contraire; ſi quis autem tributariorum & cenſualium ſacerdos confirmationem noſtram & edictum imperiale pronunciare, & ſumma diligentia ſervare neglexerit, poſt tertiam amonicionem fratrum ſuſpenſum eum eſſe decernimus, donec Epiſcopo & vobis ſatis-

ſatisfecerit. Datum *Rome* apud ſanctum *Petrum*, ſecundo Kalendas Auguſti.

X.

HAISKA ABBATISSA ANDLAVIENSIS FUNDUM *SALEMBERG* CONCEDIT ABBATIÆ BAUMGARTENSI. Dat. Anno M. C. LX. VII.

Ex libro ſalico Abbatiae Andlavienſis fol. 7. (a)

Quoniam tocius chriſtiane religionis fundamentum in caritatis obſequio conſiſtit, ſicut ejus unctio docet, dum de unius copia ſuffragante pietatis affectu alterius ſublevatur inopia. Idcirco congruum eſt, rationique conſentaneum eſſe videtur, ut eccleſie Dei, religioſorumque conventus, qui pro Chriſti omnia ſua, ſeque cedentes, utuntur hoc mundo, tanquam non utentes in via peregrinationis hujus mutuis fulciantur beneficiis. quapropter ego *Haizka* Dei gracia vocata abbatiſſa Sancte *Richarde* de *Andelau* notum facio preſentibus pariter & ſecuturis pietatis opus & beneficium, quod ego de communi Conſilio ſororum Sanctimonialium capituli noſtri, & conſilio miniſterialium & aliorum hominum eccleſie noſtre contuli fratribus de *Bongart*. Eſt quidam fundus ſancte *Richarde*, juxta *Bongart*, qui vocatur *Salumberg*, quo fratres illi plurimum ſe egere dicebant, unde nos communicato conſilio partes, prout nobis viſum eſt, contulimus eis, ſcilicet ſicut ſemita dividit, que vocatur Rinewech, que veniens

ens de *Andelau* vadit contra *francenaburg* usque ad rivum quidquid ſubtus eſt, verſus *Bongart*, quod juri noſtro ſubjacet, ſeu cultum ſeu incultum, hoc totum ad augmentum illius eccleſie conferimus, ut ipſa jure perpetuo libere totum poſſideat in nemore, in agris, in pratis, cum decimis terrarum harum, ſive pratorum ſub cenſu quinque ſolidorum, qui in feſto Sancti *Martini* ſingulis annis perſolvendi ſunt, niſi gratia abbatiſſe remittantur. Et quoniam circumvenire invicem in negocio apoſtolico precepto prohibemur, ſi prefatus cenſus aliquando interveniente oblivione, vel prepediente penuria conſtituta die perſolvi non poterit, nichilominus tamen infra quindecim dies hora qua venerit, omni occaſione calumpnie remota, recipietur, ut igitur ratum jugiter perſeveret, quod factum eſt, hanc actionem ſcripto mandari, ſigilloque ſignari conſilium fuit hoc modo inter utramque eccleſiam, facto Cyrographo carta dividatur, cujus pars una in *Bongart*, altera penes nos conſervetur, & utraque pars ſigillis duobus Abbatis videlicet de *Bongart* & noſtro premuniatur in teſtimonium. Et hoc beneficium, ne qua ſucceſſorum poſſit violencia diripi, vel fraudulencia ſubduci, preſens pagina perpetuo durans, ut que vera ſunt ſemper revelans, perverſorum machinamenta vertat in nichilum, & faciat pacem. amodo uſque in ſempiternum, Teſtes ſunt *fridericus* ſacerdos, *Syfridus* ſacerdos, *Osbertus* Clericus, *Lodovicus* ſacerdos de *Ephika*, *Lodovicus* Diaconus de *Andelau*, *Hugo* Comes, *Arcanboldus* villicus, *Theodericus* miles, & *Gerardus* frater

ter ejus, *Burchardus*, *Lodovicus*, *Bernerus*, *Algoldus*, *Ananias*, *Warnerus*, *Warnerus* dives & *Cuno* filius, *Arnulfus* ſubadvocatus, *Fridericus*, *Geronus Rapoldus*, Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo, centeſimo, ſexageſimo ſeptimo.

(a) Hujus chartae extractum Gallicum refert *Calmet Notice de la Lorraine Tom. 2. Supplement pag. 74. & 75.* qui videtur ejus autographum conſpexiſſe.

XI.

RUDOLPHUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS A *WERNHERO* ABBATE MAURI MONASTERIENSI CASTRUM *HOH-BARR* PROPE TABERNAS ALSATICAS PER CONCAMBIUM MANSI IN GINSHEIM REQUIRIT. Dat. c. an. M. C. LX. VIII.

Ex tabulario Abbatiae Maurimonaſterienſis (a)

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Quoniam generatio praeterit, & generatio advenit, idcirco praeteritorum temporum geſta ignorantur, niſi poſterorum memoriae Litteris mandata tradantur; Eapropter ego *Rudolfus* Dei gratia ſanctae Argentinenſis eccleſiae epiſcopus notum facio cunctis eccleſiae fidelibus tam futuris quam praeſentibus cambium, quod auctoritate & conſilio Domini noſtri Imperatoris *friderici* fecimus inter argentinenſem Sanctae Dei genitricis *Ma-*

Mariae eccleſiam majorem, cui Deo auctore praeſidemus & inter abbatiam *Maurimonaſterium* ejusque abbatem *Wernherum* per liberos advocatos, *Anshelmum* argentinenſem, & *Ottonem* Maurimonaſterienſem, (b) conſenſu fratrum noſtrorum Sanctae *Mariae* canonicorum, deſiderio & conſilio miniſterialium & familiae utriusque eccleſiae, caſtro beatae *Mariae*, quod dicitur *Borra*, (c) *rupis*, quae ab auſtrali parte adjacet, munitioni apta, quae usque ad nos ſine aedificiis remanſit, quia ad allodium eccleſiae beati *Martini* pertinuit, hanc nos pacis & ſecuritatis intuitu munire cupientes, pro ea cambivimus liberum beatae *Mariae* allodium: Eccleſiae beati *Martini* libere tradidimus poſſidendum, manſum videlicet unum apud *Gundesheim* (d) ſolventem ſingulis annis quatuor uncias, duas in paſchate & duas in feſto Sancti *Baptiſtae Joannis*: ſolvit & ſervitium unum in natalibus in feſto Sancti *Stephani* protomartyris, quartale ſcilicet avenae, octo panes, quatuor ſextaria vini, & quatuor gallos gallinacios, ſi abbas, vel nuntius ejus ſervitium hoc apud praefatam villam & illic uti voluerit, colonos manſi ad prandium convocabit; ſin autem ad monaſterium transferre voluerit, colonis tertiam ſervitii dabit. Verum, quoniam praefatum Coenobium poteſtati Metenſis Eccleſiae videtur eſſe ſubjectum, haec omnia conſenſu & favore metenſis eccleſiae Epiſcopi *Theodorici*, mediante *Hugone* comite ejusdem eccleſiae advocato (e) geſta ſunt, & tali modo confirmata, ut nullus Epiſcopus, nullus Abbas, nulla omnino perſona hunc manſum ab eccleſia praefata abalienare

nare poſſit, ſed cambitionis hujus memoria perpetuo ſtabilis erit. Et ut rata haec & inconvulſa permaneant, ea quae fecimus, banno epiſcopali confirmavimus, unde chartam quoque hanc conſcribi fecimus, ſigilli noſtri impreſſione & teſtium ſubſcriptione roboravimus (f).

(a) vid. *Schöpflinus Alſat. Dipl. Tom. 1. p. 257.*
(b) *Otto* nempe de *Geroldſeck* Advocatus Abbatiae Maurimonaſterienſis.
(c) Praeſtantiſſimum Alſatiae inferioris Caſtrum montis jugo prope Tabernas Alſaticas impoſitum dictum *baar* ſive *Hoh-baar*, conſtructum ut Tabernas & Vogeſum hic magis pervium cuſtodiret.
(d) *Ginsheim* pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem.
(e) *Hugo* Comes Dagsburgenſis Comesque Metenſis.
(f) Charta haec ſine aera eſt. Data vero fuit inter an. 1166. quo electus fuit *Wernherus* Abbas Maurimonaſterienſis & inter an. 1171. quo obijt *Theodericus* Metenſis Epiſcopus.

XII.

CALIXTUS III. ANTIPAPA FUNDATIONEM MONASTERII S. FIDIS IN SELESTADT CONFIRMAT &c. Dat. XXIX. Aug. M.C.LXX.

Ex vidimus judicis Curiae Argentinenſis an. 1303. in tabulario Epiſcopali Palatij Argentin.

C*alixtus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Nybeloni* Prepoſito celle Sancte *fidis* que in alemania ſita eſt in villa *Sletzſtadt* & ejus fratribus imperpetuum. Sanctorum patrum Sa-

Ʃic-

ctionibus informati, que rationabiliter ab anteceſſoribus noſtris ſunt ſtatuta firma & inconvulſa, tenere optamus, & ne pravorum hominum Cavillacionibus aliquatenus poſſint infringi, perpetue firmitatis robur ea volumus efficaciter obtinere. Inde eſt, dilecti in Domino filii, quod nos praedeceſſoris noſtri felicis memorie *Paſchalis* Pape ſecundi veſtigia imitari volentes, & egregii Ducis *Friderici* & fratrum ejus pium ac religioſum deſiderium diligentiſſime attendentes, eorum devocionem benigno favore proſequimur, & veſtris juſtis peticionibus dignum aſſenſum clementer prebemus. Oblacionem igitur, quam inſpirante Spiritus Sancti gratia, beate Martiri *fidi* & Conchenſi monaſterio predicti Duces egregii obtulerunt, ratam ſemper & inconvulſam manere ſancimus. Ipſa etenim Cella de *Sletzſtat*, que Sancti Sepulchri vocabulo eſt appellata, ubi eciam Beate martyris *fidis* memoria celebriter habetur, ſub jure ſemper & diſpoſicione Conchenſis Cenobii conſervetur, ſicut a ſupradicto bone memorie Duce *friderico* & ejus fratribus eſt cum cunctorum limitum deſignatione & poſſeſſionum & poſſeſſorum collacione contradita. ſane advocatus eidem celle prout a fundatoribus inſtitutum, eſt, non alius proponatur, niſi quem Conchenſis abbas liberi arbitrii diſpoſitione, ac fratrum proviſione ibidem prefecerit. Porro ejusdem loci Eccleſia cum atrio ſuo ab omni hoſtium incurſione ſit libera, & ab Epiſcoporum ſeu Epiſcopalium miniſtrorum oppreſſionibus aliena, ſepulturam quoque ipſius omnino liberam eſſe decernimus ut eorum qui illic ſe-

ſepeliri deliberaverunt devocioni & extreme voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Ut ergo veſtre juſte peticionis affectus felicem ſortiatur effectum, ſupra memoratam eccleſiam de *Sletzſtat*, in qua divino eſtis mancipati obſequio, cum omnibus ad eam pertinentibus ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. ſtatuentes, ut quecunque predia, aut quecunque bona per ſupradictum principem vel fratres ejus, aut alios fideles de jure ſuo eccleſie veſtre jam oblata vel conceſſa ſunt, aut in futurum Conceſſione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propicio eadem Eccleſia poterit adipiſci, firma vobis, & illibata permaneant. In quibus hec ſpecialiter dignum duximus annotanda, cappellam de *Bucelinges* cum omnibus ad eam pertinentibus, Eccleſiam de *Tintelinges* cum duabus partibus decime & decem manſos, & medietatem nemoris cum omnibus que ad eam pertinere noſcuntur. Eccleſiam de *Heſſelinge* cum decimis & ſepultura & baptiſterio, & cum omnibus ad ipſam pertinentibus, Eccleſiamque de *Groba* cum decimis & Baptiſterio & ſepultura, & cum omnibus ad eam pertinentibus, que de prudentum virorum conſilio, ac Venerabilibus legatis noſtris *Unfredo* Sancte Romane Eccleſie presbytero Cardinali, atque Legato, & *Sigewino* Tuſcanenſi Epiſcopo impoſito ſuper eadem Eccleſia ab eis abbate *Hugonis curie*, & *Hunoni* plebano de *Wibra* perpetuo ſilentio vobis & Eccleſie veſtre eſt adjudicata ſecundum ſen-

tentiam ſuper decimis ejusdem Eccleſie ab eis prolatam hujus noſtri privilegii auctoritate vobis quiete & pacifice concedimus & confirmamus libere de cetero poſſidendam Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Eccleſiam de *Sletzſtat* temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentacione & gubernacione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura ſi qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitucionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, terciove commonita, ſi non ſe congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac Sanguine Domini noſtri *Jheſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jheſu Chriſti*, quatenus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant, Amen.. Datum *Viterbii* per manum *Stephani* Pariſienſis, Domini *Martini* Tuſculani Epiſcopi & Sancte Romane Eccleſie cancellarii vicem gerentis, quarto Kalendas ſeptembris, indictione tertia, anno Incarnationis Dominice Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Pontificatus vero Domini *Calixti* Pape tertii anno ſecundo.

XIII.

XIII.

RUDOLPHUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT BONORUM DONATIONEM ABBATIAE BAUMGARTENSI FACTAM &c. Dat. Anno M. C. LXXI.

Ex apographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti. Generationibus ſeculorum ſibi invicem ſuccedentibus, dum unus diripit quod alter in elemoſinam dedit, & filii deſtruunt quod patres edificaverunt; ſic Eccleſiis Dei collata beneficia direpta minuuntur: unde eccleſie deſtitute a ſuo priſtino ſtatu paulatim deficiendo vadunt in confuſionem, & rediguntur in nichilum. Ne ergo ea preſentium, vel poſterorum poſſit oblivione deleri quod fideliter conſtat factum & eſt memoriter retinendum. Ego *Rudolfus* Dei gratia argentinenſis Epiſcopus notum facio preſentibus pariter & futuris, quod *Hugo* Comes Metenſis & de *Daxburch* precibus bonorum virorum contulit Sancte *Marie* & fratribus de *Boumgarten* pro remedio anime ſue quiquid habebat in monte de *Burgerith*, ſcilicet a via que aſcendit montem predictum contra *Boumgarten*, & vadit verſus *Buochsperg* usque ad alterum montem, & inde extendit ſe verſus *Andelo* usque ad altitudinem illius montis, deinde vadit per vallem retro vetus caſtrum, quod pater ſuus (a) olim edificare voluit, & ſic deſcendit ad predictam viam, que vadit de *Boumgarten*, & quia predictus mons

 in

in parte noſtri juris erat, nos de conſenſu & voluntate noſtri Capituli, nec non voluntate hominum noſtrorum de *Ephic* (b) etiam ei contulimus & conferimus quicquid infra loca prenominata habebamus, ut participes ſimus omnium bonorum, que in illa novella plantatione de cetero fiant. illud etiam pretermittendum non eſt, ſed ſciendum quod nobilis vir *Bernardus* de *Rotenwill* (c) conſanguineus noſter etiam contulit predicto cenobio de *Boumgarten* quandam ſilvam liberi allodii ſub prenominato monte inter duas vias, viam ſcilicet de *Buochperc* & viam de *Zelle* (d) usque foſſam calcinariam, que in alto monte eſt dedit idem *Bernardus* eidem Eccleſie allodium ſuum, cum omni integritate & libertate quod habebat apud *Hattam*, (e) apud *Gertenwilre* (f) domum & curiam unam; apud valvam (g) pratum circiter decem agrorum; apud *Widderceldenheim* (h) duos agros prati, apud *Stotesheim* (i) curias duas cum domibus duabus, & duos agros vinee, & in terris arabilibus circiter ducentos agros. Dedit etiam quiquid Allodii habebat apud *Huttbenheim* (l) preter hec emit idem *Bernardus* a fratribus predicte Domus de *Boumgartten* centum oves, quas poſtea eisdem cum omni integritate donavit. hujus donationum teſtes fuerunt: *Hugo* comes Metenſis, & *Waltherinus* miles ejus, *Wolfelinus* Scultetus in *Dambaco*, *Heinricus* advocatus. *Thietemarus* caſtellanus de *Berenſtein* (m) & alii quam plures fide digni. Proceſſu vero temporum, cum idem *Bernardus* defunctus in eccleſia de *Boumgarden* ſepeliretur; *Anibel* nepos ipſius de *Andelo* (n) omnem elemoſinam,

ſinam, quam ipſe dederat; benigne conceſſit, & dedit coram teſtibus hiis, qui affuerunt: *Guntherus* Schultetus de *Virdenheim*, (o) *Ludovicus* de *Burcheymein*, (p) *Wernherus* & *Gerhardus* de *Andelo* & alii quam plures: Inſuper notificandum eſt, quod predictus Comes etiam dedit prefato Cenobio curiam de *Hohenwart* (q) cum omnibus pertinentiis ſuis, & totam terram ad eandem pertinentem ſub Cenſu XIII. denariorum & uno obulo, nec non XIIII ſextariorum & dimidio ſiliginis & duabus quartalibus avene absque ulla contradictione omnium hominum conceſſit. quem cenſum dare tenentur usque ad feſtum Sancti *Martini* hiemalis in curia ſua predicta de *Hohenwart* Quam conceſſionem prefatis fratribus de *Boumgarten* ſigilli ſui impreſſione confirmavit, in teſtimonium ne quis hominum infringere preſumeret. ipſam quoque curiam cum omnibus pertinentiis ſuis & omnia que preſcripti fratres de *Boumgarden* in banno prenominato de *Hohenwart*, ſive per peccuniam, ſive per datam eis elemoſynam in terris, in pratis, in nemoribus, in redditibus ſibi conquiſierunt, ſub ſua ſuſcipient protectione, ab omni exactione ſalva & libera eſſe conſtituit, & uſuaria & paſturas ad omnia cujuslibet generis animalia, & ligna ad ignes, & per totum bannum de *Hohenwart* & de *Dambaco* eidem conceſſit. Precipiens ut nulli hominum ſuorum liceat eidem quicquam imminuere ammodo & usque in ſempiternum. Nos ergo, qui ex dilectione volumus & ex officio debemus eccleſiarum jura tueri, volumus aç precipimus, ut hec omnia integra illibataque

conſerventur eccleſie, cui data ſunt, ammodo & usque in ſempiternum. Qui autem aliquid de hiis vel violenter arripere, vel fraudulenter ſubtrahere preſumpſerit, anathema ſit, quousque eccleſie Dei juſte reſtituat, quod injuſte preſumpſerit auferre. Anno ab incarnatione domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo.

(a) *Folmarus* ſcilicet III. Comes Metenſis & Dagsburgenſis.

(b) *Epfich* ad Epiſcopum Argentinenſem pertinet.

(c) Familia Alſatica nobilis de *Rotweil* hodie extincta.

(d) *Zell* prope *Bliensweiler.*

(e) *Hatten* eſt Principis Haſſo-Darmſtadienſis.

(f) *Gertweiler* pertinet ad Civitatem Argentinenſem.

(g) *Valff* ad D. de *Andlau* ſpectat.

(h) *Widernheim.*

(i) *Stotzenheim* eſt vicus Epiſcopi Argentinenſis.

(l) *Hüttenheim* ejusdem Epiſcopi eſt.

(m) Caſtrum *Bernſtein*, quod Sueviae Dux quidam *Bero* creditur condidiſſe ſupra *Dambacum* ſitum, a quo praefectura Bernfeldenſis olim dicebatur diſtrictus & Advocatia Bernſteinenſis.

(n) Primus hic eſt, quem monumenta produnt Diplomatica gentis Alſaticae de *Andlau* hodiedum exiſtentis.

(o) *Firdenheim.*

(p) *Burgheim*, a quo nomen deſumpſit Gens Alſatica extincta.

(q) *Hohwart* dynaſtiae Villarienſis vicus pertinens ad D. *de Choiſeul-Meuſe.*

XIV.

XIV.

RUDOLPHUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT CONCAMBIUM BONORUM IN *HERMOLSHEIM* ET IN WEGE FACTUM INTER FRATRES ECCLESIAE HASELACENSIS ET INTER *FRIDERICUM* MILITEM DE *HERMOLSHEIM*. Dat. an. M. C. LXXII.

Ex autographo tabularij Collegiatae Haſelacenſis.

In nomine Sanćte & individue Trinitatis, Ego *Ruodolfus* Dei gratia argentinenſis Eccleſiae epiſcopus. Noverint omnes fideles chriſti tam preſentes quam futuri, quod fratres Eccleſie Sanćti *Florentii* de *Haſelaba* communi conſilio & cum manu Domini *Ottonis* de *Geroldeſecken* ejusdem eccleſie advocati cum *Friderico* milite de *Hermnotisheim* (a) tale fecerint concambium, ut videlicet curtim in eadem villa ſitam, de qua ipſe decem & ocńo amas vini Eccleſie ſingulis annis ſolvere debuit, absque tributo deinceps, ejusque poſteri poſſideant, & eccleſia duos agros vineti & dimidium de predio ipſius in *Wegeringe marcka* (b) jure concambiali ac legitima transfuſione retineat, nullusque locus contradićtionis amodo & usque in ſempiternam alteri parti ſuper his patere valeat, & hec transfuſionis karta noſtri ſigilli impreſſione confirmata usque ad tubam noviſſimam rata & inconvulſa permaneat. aćtum ſollempniter anno incarnat. Dom. M. CLXXII. Indićt. quinta, regnante Sereniſſimo Romanorum Imperatore *Friderico* primo; & hii teſtes ſtipulacionis ſubnixe: *Otto*

to advocatus & frater ejus *Burchardus*, *Luodewicus* Decanus, *Baldewinus* edituus, *Eckehardus* portarius & alii quam plures, videlicet *Adelbertus*, *Hugo* cellerarius *Otto* & *Heinricus* Canonici, & de Laicis *Wolfelmus* Cauſidicus, *Bertholdus* frater *Friderici* praedicti, *Hugo* miles ejusdem ville.

(a) *Hermolsheim*, quem veteres Chartae dicunt *Hermuotisheim* & *Hermotsheim*, ſitus prope *Mutzigam* oppidum, a quo *Bruſca* ſeparatur, pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem.

(b) Vicus *Wege* prope *Hermolsheim* hodie deſtructus.

XV.

MATHAEUS DUX ET MARCHIO LOTHARINGIAE ABBATIAE BAUMGARTENSI CONCEDIT OMNIA BONA QUAE HABUIT IN VILLA DICTA LA FOSSE. Dat. an. M.C.LXX.II.

Ex tabulario Abbatiae Belli prati. (a)

In nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti. Notum ſit omnibus tam praeſentibus quam futuris, quod ego *Mathaeus*, Dei gratia Lotharingiae (b) Dux & marchio, aſſenſu uxoris meae & filiorum meorum, dedi Eccleſie *Belliprati* (c) in eleemoſynam, quidquid habui in foſſa (d) quae eſt in valle ſancti *Deodati*, ſub annuali cenſu ſex nummorum, in feſto Sancti *Joannis Baptiſtae* perſolvendorum, faventibus & collaudantibus *Simone* de *Perreya*, (e) *Theodorico* de *Jorceiis*, (f) *Acelino*,

no & *Heſſone* de *Bertrimontier*, (g) *ſolmaro* de *Provencheriis*, (h) caeterisque omnibus tam advocatis quam ſubadvocatis, qui omnes mecum pariter grangiam in ſupradicta foſſa conſtructam, cum omnibus finibus ſuis & appenditiis dederunt, a *Saxo* de *Salis* (i) usque ad viam *ferrati montis* (l) & exinde usque illuc ubi conveniunt in unum bannus ſenonenſis, & bannus de *Provencheres*, & bannus de *Seſſey*, & deinde ſecundum diviſionem rivi per totam vallem, ubi dicitur *meneingieres*, usque ultra *Baldammont*, ad rivum qui dicitur *Petroſa-Gutta*, & ſic usque ad praedictum *ſaxum de Sales*. Et hanc donationem mecum liberam & abſolutam fecerunt, ab omni Calumnia, tam ſua quam ſucceſſorum ſuorum in perpetuum Litteris adjicientes mecum dederunt fratribus praedictae domus uſum paſturae ad omnia ſua cujuslibet generis animalia, viarum itus & reditus, & reliqua uſuaria per totum bannum de *Proveneberes*: ita ſcilicet, ut ſicut animalia eorum damnum fecerint, ſine juſtitia quantitatem damni reſtituant. Progreſſu vero temporis, creſcente numero ſervorum Dei, Abbas *Belli-prati*, fundata Abbatia in honorem Sanctae Dei genitricis *Mariae* in loco qui dicitur *Bongard*, abbati & fratribus illic transmiſſis praefatam grangiam, cum aſſenſu meo & omnium ſupradictorum advocatorum, cum omni integritate ſubſcripta, & libertate donavit; comes quoque *Sigebertus* de *Franckenburg*, (m) qui eandem foſſam de manu mea tenuerat antea, eidem eccleſiae dedit, & ſuper altare ſanctae Dei genitricis *Mariae* poſuit quidquid ſibi exinde juris

 aut

aut donationis competere videbatur, ipſamque donationem liberam fecit & abſolutam ab omni Calumnia ſua, & filiorum ſuorum. Deinde poſt longum tempus, praedictus *Simon* de *Perreia* querimoniam movit in antedictam donationem; ſed poſtea ratione ductus, & meis atque aliorum principum precibus acquieſcens, poſſeſſionem eccleſiae recognovit, & Laudavit ſecundum diviſas ſuperius memoratas, & omnem Calumniam ſuper hoc guipivit in manu mea, aſſenſientibus & Laudantibus filiis ſuis, *Simone* ſcilicet, & *Odvino*, atque *Alberto*. ut hoc igitur ratum & inconvulſum jugiter perſeveret, hoc in praeſenti pagina ſigilli mei authoritate praemunio. Teſtes *Hermannus* abbas *medii monaſterii*, *Petrus* abbas *Belli-prati fulcho* abbas *altae ſilvae* (n) *Guido* abbas *Calmoſiacenſis*, (o) *Galtherus* abbas *ſtivagienſis*, *Galtherus agnus* archidiaconus, *Albertus* Decanus Eccleſiae Sancti *Deodati*, *Theodericus* de *Romontmont*, (p) *Albertus* filius ejus, *Guillelmus* de *Sancta Margareta* (q) actum eſt anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo.

(a) Confer. *Calmet hiſtoire de Lorraine preuves Tom. II. p. 365.* primae edit. *& Tom. 6. p. 18.* ſecundae edit.

(b) *Bertha* ſcilicet filia *Friderici* Ducis Sueviae & Alſatiae, Soror ipſius *Friderici* Imperatoris.

(c) *Beaupré* Abbatiae Ord. Ciſterc. una leuca ſupra *Lunae villam.*

(d) *La foſſe* vicus banni & Communitatis Stivagienſis diſtat duabus leucis cum dimidia a S. *Deodato*, in cujus eſt Balliviatu.

(e)

(e) *Parroy* vicus inſignis tribus leeuis diſtans a *Lunaevilla*, qui nomen ſuum dedit illuſtrae & antiquae nunc extinctae familiae de *Parroy*, cujus Genealogiam exhibet *Calmetus*.

(f) *Jorxey* vicus inter *Mirecourt* & *Chatê* in Ballivatu de *Darney*.

(g) *Bertimontier* ſic dictus a *Bertrico* diſcipulo S. *Deodati*. Vicus Ballivatus Deodatenſis.

(h) *Provencheros* en-vôge vicus Ballivatus San-Deo-Datenſis trihorio diſtans.

(i) *Saales* Germanice *Seel* ultimus in hoc diſtrictu Alſatiae & Dioeceſis Argentinenſis locus.

(l) *Framont*.

(m) *Sigebertus* ſcilicet Comes de *Werda* nomine de *Franckenburg* ſaepius inſignitus.

(n) *Hante ſeille*.

(o) *Chanmonſey*.

(p) *Raumont* vicus in banno *Laveline* & ballivatu S. *Deodati* a quo diſtat duabus leucis.

(q) *Ste Marguerite* vicus ejusdem ballivatus ad *Meurtham* una leuca a *S. Deodato*.

XVI.

FRIDERICUS DE *BITSCH* FILIUS *MATHAEI* LOTHARINGIAE DUCIS PRAEDIUM BREIDEMBACH IN LOTHARINGIA *NENDUNGO* ABBATI NOVI CASTRI ET EIUS ABBATIAE CONCEDIT. Dat. anno M. C. LXX. II.

Ex tabulario Abbatiae Neoburgenſis (a)

Quoniam rerum geſtarum ſeries & ordo antiquitate temporum viciſſitudine ſuccedentium ſepius immutatur, oblivione diutina aboletur,

tur, aut obnubilatur, ut firma ſint, & illibata permaneant, que pie geſſimus, ſcripturarum memorie neceſſarium duximus commendare. Notum ſit ergo tam futuri quam preſentis temporis fidelibus, quod ego *Fridericus* de *Bytis* filius *Mathei* Ducis de Lotoringia, divino ductus Spiritu, predium in *Breitenbach*, (b) quod hereditario jure, patre meo concedente, poſſedi, aſſenſu uxoris mee (c) & filiorum noſtrorum cum omnibus pertinentiis, agris, paſcuis, nemoribus, decurſibus aquarum monaſterio Sancte *Mariae novi caſtri* & abbati ejusdem loci *Nendungo*, omnibusque ibidem Deo famulantibus legitime donavi, & eandem donationem coram miniſterialibus meis confirmavi. Noverit itaque diligens lector & curioſus auditor ut tollatur de medio omnis malignandi occaſio & obſtruatur omne os loquentium iniqua, quod quidam *Volmarius* miniſterialis noſter prefatum predium libere, ac cum omni juſtitia jure feodi per lineam proavorum ſuorum poſſidens mihi reſignavit, precibusque non precio quatenus ſervorum Dei Commoditati manciparem, ſicut audiſtis, ſollempniter factum obtinuit. Ne quis ergo temerarius bonorum actuum invitus hanc noſtri ſcripti cartulam infringere, aut mutare preſumat, ſigilli noſtri inpreſſione atque puriſſime veritatis atteſtatione perhibemus. Acta haec ſunt anno ab incarnatione domini M. CLXXII., Indictione quinta, his teſtibus: *Lamperto, Eberhardo, Danchrado. Adelberto, Herneſtone, Arnolfo, Gerbardo, Megenbelmo* marſchalco, *Wichramo* ſcolteto,

to, ceteriſque quam pluribus civibus apud *Bytis* caſtrum.

(a) Confer. cum *Schöpfflini* edito in *Alſat. Dipl. Tom. I. p. 259.*

(b) *Breidembach* vicus Lotharingiae ſitus in ballivatu de *Bitſch* a quo diſtat duabus leucis cum dimidia.

(c) *Ludomilla* filia *Mizlai* regis Poloniae.

XVII.

HATVIDIS ABBATISSA ANDLAVIENSIS INVESTITURAM ABBATIAE ET ECCLESIAE STIVAGIENSIS ORDINI PRAEMONSTRATENSI ET *VALTERO* ABBATI CONCEDIT. Dat. anno M. C. LXX. II.

Ex tabulario Abbatiae ſtivagienſis (a).

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti. Amen. Quoniam mundus in maligno poſitus eſt, & amicus quaerentium, quae ſua ſunt, his quos de mundo Chriſtus elegit, adverſari non deſinit, ut ab intentione recta revocet greſſus quaerentium faciem Dei *jacob.* Idcirco dignum & juſtum eſt, ut eccleſiae Chriſti ſanguine conſecratae & confoederatae in via peregrinationis hujus mutuis fulciantur obſequiis & ſubleventur beneficiis. In Chriſti ergo nomine ego *Hatvidis* Dei gratia Andelacenſis abbatiſſa vocata, & univerſae Sorores Capituli noſtri, notum facimus generationi, quae nunc eſt, & quae ventura eſt, quod communi conſilio

ſilio & conſenſu Canonicorum noſtrorum, & comitis *Hugonis* advocati noſtri & reliquorum miniſterialium qui eccleſiae noſtrae beneficia poſſident, benigne concedimus ordini ſacro Praemonſtratenſi inveſtituram eccleſiae ſtivagienſis cum tertia parte ipſius banni, in terris & cenſibus earum & manipularibus, redditibus earum, pratis, cenſibus et redditibus earum, aquis & piſcationibus earum, ſylvis & venationibus & foreſtationibus ipſarum & omnium rerum, quas ſol irradiat, Ventus ventilat in eodem banno, & totius ejusdem banni quorumlibet animalium paſturis cum cenſu Capitali manentium infra & extra bannum hominum tam Stivagienſis quam Andelacenſis eccleſiae hominis duorum, mulieris unius nummorum Deodatenſium, & cum reliquis poſſeſſionibus quae ex antiqua inſtitutione Sanĉte *Recbardis* ad praebendam tredecim Canonicorum ſaecularium ſpeĉtare noſcuntur. De duabus vero partibus ejusdem banni cenſualem reditum, qui ad nos ſpeĉtat, eidem eccleſiae ſtivagienſi ſub cenſu quadraginta ſolidorum argentin. perpetualiter concedimus, & absque contradiĉtione, vel querela cujuslibet principis vel advocati, ſeu participatione alicujus hominis in aeternum pacifice poſſidendas damus. Quae videlicet eccleſia ex Imperiali beneficio & privilegio ordinationi & diſpoſitioni Andelacenſis Eccleſiae a diebus antiquis ſubjacere dignoſcitur. De hac autem ordinatione hoc tantum nobis & eccleſiae noſtrae retinuimus, ut abbas ſtivagienſis & ſucceſſores ipſius inveſtituram praediĉtae eccleſiae de manu noſtra & de manu ſuccedentium

nobis

nobis Abbatiſſarum, remota ſemper omni Calumpnia & contradictione recipiat, & in feſtivitate apoſtolorum *Petri* & *Pauli* miſſam in Eccleſia Andelacenſi ſingulis annis celebrare veniat & medietatem cenſus praefati cenſualis reditus ſecum deferat, ſi honeſta illum occaſio de his non excuſat; & ſi negotium eccleſiae fuerit, ut curiam Imperatoris abbatiſſam contingat adire, abbatem, ſi ei placuerit, in comitatu ſuo ducere poterit, niſi illum rationabilis neceſſitas detineat; & ſciendum quod abbatiſſa in electione, vel depoſitione abbatis nullam penitus habebit poteſtatem, ſi venerandi Patres ordinis ipſius quacumque de cauſa eum deponere, vel promovere voluerint ſed quemcunque Sanior pars Capituli Stivagienſis elegerit, & cum teſtimonio abbatis matricis eccleſiae Andelacenſi preſentaverit, illum ſine mora & contradictione, ut omnis execrande Simoniae nota removeatur, inveſtire debebit; & ſi, aliqua pullulante querela, abbas ille inveſtituram ſuam primo aditu ab abbatiſſa impetrare nequiverit, cum humilitate & reverentia eandem inveſtituram ſuam ſecundo, aut tertio repetere debebit. Quodſi abbatiſſa tam crebris precibus pulſata, infra annum abbatem inveſtire noluerit, ex tunc in diebus ſuis abbas ille abbatiam ſuam libere & legitime, quamdiu ſuus ordo permiſerit poſſidebit. Ut igitur hoc Charitatis & Concordiae foedus ratum jugiter & inviolatum perſeveret in aevum, unanimi conſenſu & Conſilio eccleſiae noſtrae, facto privilegio & teſtibus idoneis & legitimis adhibitis decernimus, ut Sanctae matris noſtrae *Richardis* noſtroque

que ſigillo & advocati noſtri confirmetur in nomine Domini, quatenus tantae tamque reverendae auctoritatis decretum a nobis & a ſucceſſoribus noſtris inconcuſſe & irrefragabiliter teneatur modo & usque in ſempiternum. ſunt autem nomina teſtium haec: *Gertbrudis* Decana, *Ava* cuſtos, *Hadevidis*, *Gutha*, *Juncta*, *Hademoth*, *Engelratht* celeraria, *Hadewich*, *Mathildis*, *Adeleth*, *Hulica*, *Hadewich*, *Cuneguntb*, *Gertrudis*. Ego *Fridericus* presbyter de S. *Fabiano*, Ego *Ludewicus* presbyter, ego *Optus* diaconus. Nomina abbatum ſunt haec: *Vodolricus* abbas *Hugonis Curiae*, *Stephanus* abbas *Labonis Montis*, *Wilermus* abbas de *Mirvalt*, *Conſtantinus* abbas de *Bonguart*, *Hugo* Comes Metenſis, & advocatus Andelacenſis, & *Albertus* ejus filius, (b) & alii plures. Actum eſt hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXII, indictione quinta epacta XXIII. concurrente ſexto, Eccleſiae Stivagienſi praeſidente abbate domno *Waltero* de *regia valle* (c) electionis ſuae anno ſecundo.

(a) Fragmentum hujus chartae refert *Hugo* in *Annal. ord. Praemonſtr. Tom. 2. p. 805.* ſed omnino mutatum & mutilum vid. etiam *Schöpfflinus Alſat. Dipl. T. 1. p. 259.*

(b) *Albertus* ſive *Adelbertus II. Hugonis* IX. Comitis Metenſis & Dagsburgenſis filius cum patre advocatiam Andlavienſem jam anno 1160. geſſit.

(c) *Walterus* de *Regia valle* ab Abbatia, unde fuerat aſſumptus, nomen retinens anno 1169. *Raimbaldo* Abbati ſtivagienſi ſucceſſit.

XVIII.

XVIII.

FRIDERICUS I. IMP. ABBATIAE NEOBURGENSI ADJUDICAT BONA IN *DALHEIM.* an. M.C.LXXIV.

Ex chartulario novi Caſtri.

F*ridericus* Dei gatia Romanorum Imperator auguſtus, rerum bene geſtarum memoriam litteris annotare conſuevit antiquitas, ne poſteritatem latere contingeret, quod preterita etas per juſticiam terminaſſet. Notum igitur eſſe volumus tam futuris quam preſentibus, quod *Rodericus* de *Dalheim* omnem terram ſuam in eadem villa cultam & incultam fratribus *novi caſtri* cum omni juſtitia nullo contradicente libera donatione contradidit. poſtea vero ducem uxorem eandem terram, predictis fratribus neſcientibus, nec conſentientibus ſub dotis nomine dedit: nec mora, occiſus eſt. poſt cujus obitum predicti fratres de jure donationis prefatam terram ſibi vendicabant. at uxor e contra nomine dotis pretendens fratribus in poſſeſſionem intrare volentibus reſiſtebat. multis igitur hinc inde placitis fruſtra peractis, utriuſque partis querimonia coram majeſtatis noſtre audientia fuit deportata. nobis itaque predictam cauſam ordine judiciali terminare volentibus, tandem ex conſilio in hunc modum convenerunt, quatinus mulier fructibus terre, quam dotis nomine ſuſceperat, quamdiu viveret, ex gratia fratrum uteretur, ſic tamen ut in memoriam

 rei

rei geſte fratribus annis ſingulis cenſum daret & poſt ejus obitum predicta terra in uſus fratrum cum omni juſticia ſine calumpnia recurreret. Cartulam igitur predictam cauſam continentem Sigilli noſtri impreſſione fecimus communiri, quam ſi quis temerario infringere preſumpſerit, indignationis noſtre reum ſe eſſe cognoſcet. Acta ſunt hec anno incar. dom. M. C. LXXIIII. indict. VII. hujus rei teſtes ſunt *Otto* de *Geroldeſecke*, *Egelolfur* de *Urſelingen*, *Rudegerus* Advocatus de *Hagenowe*, *Reinfridus* de *Grazendorf*, *Godefridus* de *Flekenſtein Syfridus* de *Drubtersheim* pater predicte mulieris & Ceteri quam plures.

XIX.

HUGO BONA SUA HOEREDITARIA ABBATIAE ANDLAVIENSI CONCEDIT. Dat. c. an. M.C.LXX.V. (a) — Ex libro ſalico Abbatiae Andlavienſis fol. 6. b.

Notum eſſe volumus tam preſentibus quam futuris, quod ego *Hugo*, in preſencia *Hadewigis* abbatiſſe, & *Hugonis* Comitis de *Dagesburg* & Sanctimonialium hujus congregationis atque miniſterialium, quicquid terre vel vinearum proprium habeo ſimul cum hiis, que hereditario jure poſſideo, cuncta hec tradidi beato *Petro* & Sancti *Richardi* ea condicione, ut cuſtodiſſa nomine *Aba*, predictam poſſeſſionem *Luchardi* uxori mee & filiis meis, nec non & omni poſteritati mee poſſidendam

dam pro annuali cenſu, ſcilicet dimidia cere libra in natale ſancti *Petri* ſolvenda concederet Hanc itaque poſſeſſionem *Luchardi* uxori mee conceſſam *Hugo* comes, *Erchenbaldus* ſcultetus, *Gerardus*, *Algotus*, *Burchardus*, *Amel*, *Cuno* & frater ſuus, *Theodericus*, qui *Alexandrie* peremptus eſt, eidem mulieri retinendam, fide ſua ſuſceperunt, idque factum banni diſtrictione ſoluto more confirmatum eſt.

(a) Charta haec eſt ſine aera ſed ex charta praecedente patet *Hadewigem* Abbatiſſam *aviam* Cuſtodiſſam & *Hugonem* comitem de *Dagsburg* vixiſſe anno 1172. Illam vero fuiſſe datam poſt annum 1174. judicamus, cum in ea memoretur *Theodoricus* peremptus *Alexandriae*, cujus obſidio facta eſt anno 1174. ab Imperatore *Friderico*.

XX.

COMPOSITIO INTER *BERTHULFUM* STÜRTZELBRONNENSEM ET *NENDUNGUM* NEOBURGENSEM ABBATES CIRCA COMMUNIA AMBORUM MONASTERIORUM PASCUA. an. M. C. LXXVI.

Cum omnis dubie rei obſcuritas ſoleat apud poſteros tolli e medio, ſi fuerit ſcripture illuminata teſtimonio. id circo ego *Bertholfus* Dei miſericordia dictus abbas in *Sturcelbrunnen* & abbas *novi caſtri Nendungus* eam, que facta eſt inter nos & fratres utriusque pro gracia pacis, quietis & con-

concordie de paſcuis compoſitionem, utile duximus ac neceſſarium litteris aſſignare & in futurum transmittere. &c. &c. ſtatutum eſt igitur utriusque partis aſſenſu, ut paſtores de grangia *Homcheit* greges ſuos paſcant inter eandem grangiam & eam grangiam que dicitur *Huntbuſem* nec faciende erunt caule a parte utriusque Cenobii in medio, nec in loco *Winterberch* nominato, nec in alio ad quem ſeu ad *Honſcheit* reducantur oves eadem die egreſſionis earum, ſimiliter quoque agendum erit in Ceteris grangiis *Mulenbach* ſcilicet *breitinbach*, *manleie*, ita ut eadem die poſt egreſſum oves ad ovilia earumdem grangiarum redeunt. preter iſtàs vero jam dictas grangias in nullis locis caſule erunt edificande. Ceterum fratres de *Sturcelbrunn* paſcuis ac ſilvis ſuis, ſicut juſticia eorum exigit, per omnia libere utantur. Credimus profecto paſcuis tali diſtributione diſtinctis utrique domui ſatis factum eſſe ut & nos, ſicut decet fratres ac domeſticos in viciſſitudine caritatis poterimus pacifici & unanimes habitare in domo domini. acta ſunt hec anno incar. dom. M.CLXXVI. regnante *friderico* rom. imperat. glorioſiſſimo, Imperii ejus anno XXII. ſub teſtibus utriusque congregationis fidelibus *Waltero* ſcilicet priore *novi caſtri Hugone* Cellerario, *Syfrido* priore de *Sturcelbrunn*, *folmaro* Cellerario, ceterisque eorum fratribus in *Chriſti* nomine congregatis.

XXI.

XXI.

ALEXANDER III. PP. ABBATIAE NEO-BURGENSIS BONA, JURA ET PRIVILEGIA CONFIRMAT. Dat. M.C.LXX.VII.

Ex tabulario Abbatiae Novi Caſtri. (a)

A*lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Nendungo* abbati monaſterii ſanctae *Mariae* in *novo Caſtro*, ejusque fratribus tam praeſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe praeſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacrae religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer anuimus, & praefatum monaſterium beatae Dei genitricis ſemperque & Virginis *Mariae*, in quo divino eſtis obſequio mancipati ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Dominum & beati *Benedicti* regulam & inſtitutionem ciſtercienſium fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona idem monaſterium in praeſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, Largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, praeſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in

 qui-

quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. locum ipſum in quo praefatum monaſterium conſtructum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Grangiam *Harthuſen* (b), grangiam *Lobach* (c), grangiam *Hohenſceibt* (d), grangiam *Paphenbronen* (f), grangiam *Wilmbach* (g), grangiam *Winchenhoven* (h), grangiam *Mulenbach* (i), grangiam *Erkengeriswilre* (l), grangiam *Trennenheim* (m), grangiam *Talheim* (n), grangiam *Buthenheim* (o), grangiam *almanes wilre* (p), grangiam *Suvelnheim* (q), grangiam *Tochendorf* (r), grangiam *Preitenbach* (s), cum omnibus earum pertinentiis, agris ſcilicet, pratis, aquis, ſilvis, paſcuis, cultis, & incultis, ſane laborum veſtrorum quos propriis manibus, aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas praeſumat exigere, liceatque vobis vel generaliter ad omnes, vel ſpecialiter ad aliquas cauſas de conſcientia & approbatione ſanioris conſilii yconomum habere, qui pro vobis Calumpnie preſtet juramentum & agendi & reſpondendi ſuper cauſis monaſterii liberam habeat facultatem, Paci quoque & tranquillitati veſtre paterna ſollicitudine providere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu grangiarum veſtrarum, nullus violentiam, vel rapinam ſive furtum committere, aut ignem apponere. ſeu hominem capere, vel interficere audeat. Liceat quoque vobis clericos, vel Laicos e ſeculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & in veſtro monaſterio ſine contradictione qualibet retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli

li fratrum veſtrorum poſt factam in loco veſtro profeſſionem fas ſit de eodem loco abſque licentia abbatis ſui diſcedere, diſcedentem vero absque Communium Litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere. Preſenti quoque decreto ſancimus, ut nullus infra dimidiam leugam a monaſterio veſtro edificare preſumat eccleſiam, de qua religio & quies veſtra merito poſſit turbari, quod ſi preſumptum fuerit, per epiſcopum dyoceſianum arceatur ſententia excommunicationis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat ſupradictum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuslibet vexationibus fatigare ſed omnia integra & illibata ſerventur, eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis, profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate, ſi qua ergo in futurum eccleſiaſtica ſecularisſve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita non reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultione ſubjaceat, cunctis autem eidem loca ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis

 in-

inveniant amen. Ego *Alexander* catholice Eccleſie Epiſcopus, Ego *Joannes* presbyter Cardinalis ſanctorum *Joannis* & *Pauli* tit. *Pamachii*, Ego *Albertus* presb. Cardinalis tit. S. *Laurentii* in *Lucina*. Ego *Boſſo* presbyter Cardinalis S. *Pudentiane* tit. paſtoris. Ego *Petrus* presbyter cardinalis tit. S. *Suſanne*, Ego *Jacinctus* Diaconus Cardinalis S. *Mariae* in *Coſmedin*. Ego *Cinthius* diaconus cardinalis S. *Adriani*. Ego *Hugo* diaconus cardinalis S. *Angeli*. Datum *anagnie* per manum *gratiani* ſancte Romane Eccleſie ſubdiaconi & notarii, XII. Kalenlendas januarii, indictione decima, incarnationis Dominicae anno MCLXXVII, pontificatus vero Domini *alexandri* Pape tertii anno XIX.

(a) Confer. cum *Schöpfflin. Alſat. Dipl. T. I. p. 261.*
(b) *Harthauſen*. (c) *Laubach*. (d) *Hoechſtett*. (f) *Pfaffenbrunn*. (g) *Willenbach*. (h) *Wingen* pertinens ad Ducem Bipontinum.
(i) *Mülbach* eſt Principis de *Rohann-ſoubiſe*.
(l) *Engweiler*. (m) *Trenheim*. (n) *Talheim*. (o) locus ignotus.
(p) *Adamsweiler*. (q) *Suffelnheim*.
(r) *Daugendorff* pertinens ad Abbatiam *Neoburgenſem* quae ibidem gaudet decimis & jure patronatus.
(s) *Breitenbach*, non eſt vicus *Breitenbach* in Alſatia, ſed vicus *Breidenbach* in Lotharingia diſtans duobus leucis cum dimidia ab oppido *Bitſch*, in cujus eſt ballivatu. Eſſe vicum Lotharingiae patet ex charta *Friderici* Ducis Lotharingiae anni 1207.

XXII.

HADEVIDIS ABBATISSA ANDLAVIENSIS *WARNERO* ABBATI STIVAGIENSI ET EJUS ECCLESIAE CONCEDIT INVESTITURAM CENSURAE BANNI STIVAGIENSIS.

Dat. c. an. M.C.L.XX.VII.

Ex libro ſalico Abbatiae Andlavienſis fol. 7. b. (a)

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti. quoniam inter cetera nature humane defectus oblivionis dampnum generaliter omnes incurimus, propterea neceſſarium eſt ea, que a modernis rationabiliter fiunt, Litteris alligare, ut quod fragili labe poterat a memoria, vivaci teneatur a littera. Ego igitur *Hadevidis* Dei gratia andelacenſis abbatiſſa, aſſenſu *alberti* comitis advocati noſtri, convenientia nihilominus Sororum ac miniſterialium noſtrorum, Cenſure inveſtituram ſtivagienſis banni, ſtivagienſi Eccleſiae, quam venerari ac ſublimare materno affectu debeo, per manum Venerabilis *Warneri* ejusdem eccleſie abbatis, in perpetuum ea conventione concedo, ut XL ſolidos monetae argentinenſis praefatae eccleſiae matri ſuae andelacenſi annuatim perſolvat, & viginti quidem in feſtivitate apoſtolorum *Petri* & *Pauli* dum ad celebrandam miſſam abbas advenerit, ſecum deferat, & alios XX. in feſto Sancti *Martini* transmittat, & eandem cenſuram, quamdiu cenſum iſtum perſolverit, libere ac ſecure poſſideat; quod ſi perſolvere noluerit, Andelacenſis abbatiſſa eandem cenſuram reſumat. Ne autem aliquis ini-

quitatis filius Karitativi hujus pacti rationabile cyrographum pervertere, vel immutare poſtmodum queat; veridicos huic teſtes ſubſcribere & ſigilli mei impreſſione decrevi confirmare. Hi autem ſunt teſtes: Ego *Hadewic* abbatiſſa, *Gertrudis* decana, *aba* cuſtos, *Juncta Hademoth*, & alie omnes. Ex canonicis *Ludowicus*, *Hermannus*. Ex miniſterialibus *Herchemboldus*, *Bernerus*, *Gerardus*, *Burchardus* & *Albertus* Comes ejusdem Eccleſiae advocatus, & multi alii, anno ab incarnat. Domini. (b).

(a) Confer. cum *Schöpflin. Alſat. Dipl. T. I. p. 260.*
(b) Annus aerae Chriſtianae eſt deletus. Chartam vero an. 1177. fuiſſe datam conjicimus, cum conſtet ex chartis Hohenburgenſibus *Varnerum* tunc ſtivagienſi eccleſiae praefuiſſe & ex *Hugonis Annalibus ord. praemonſtrat. Tom. 2. p. 896. Varnerum* anno illo 1177. *Valtero* Abbati ſucceſſiſſe.

XXIII.

HUGO COMES DE *DAGSBURG* ABBATIÆ NOVI CASTRI PRAEDIUM IN *DANGENDORFF* CONCEDIT AN. M.C.LXXVIII.

Quoniam prolixitate temporum & viciſſitudine perſonarum invicem ſuccedentium geſta piorum ſepius ſolent obnubilari & in irritum revocari, neceſſarium duximus beſtiam, que talem generat ſobolem, ſcripto memoriali trucidare. Notum igitur ſit tam futuris, quam preſentibus, quod ego

ego *Hugo* comes de *Tagesburch* pro remedio anime mee parentumque meorum contuli eccleſie in *Nuwenburc* fratribusque inibi Deo famulantibus predium in *Tochindorf* tringinta liberarum (a) precio comparatum ſub dom. *Nendungo* abbate, *Waltero* priore, *Merbotone* ſubpriore, *Ruthardo* Cellerario, *Waltero* Cantore, hac accepta ſponſione, quatinus diebus ſingulis, exceptis quos lex prohibet illius ordinis miſſa celebretur pro defunctis & ſingulis Sabbatis in honore glorioſe Virginis *Marie* miſſa dicatur, Lampas continuis diebus & noctibus accendatur, ubi magis decenter abbati competere videatur (b) ut autem hec firma ſint & illibata permaneant, ſigilli noſtri & prefati abbatis impreſſione firmare curavimus. Acta ſunt hec anno Verbi incarnati M.C.LXX.VIII. indictione XI. regnante dom. *friderico* Rom. Imperatore, *Rudolfo* argentinenſi epiſcopo, his teſtibus *Rudolfo* de *Oderatesheim*, *Baltramo* de *Tagesburc*, *Heinrico* filio ejus, *Erlewino* de *Altorf*, *Gerhardo* Sacerdote & Capellano de *Tambach*.

(a) Hic addenda ſunt quae adnotat idem Chartularium fol. 48. notum ſit tam praeſentibus quam futuris, quod praedium in quo ſita eſt Curia *Dochendorff* primo fuit duorum liberorum *Wolfframmi* & *Godefridi* multis expenſis & ſumptibus a clauſtro acquiſitum.

(b) In Abbatiae Neoburgenſis coemiterio extat aedicula in modum turris ex lapidibus quadratis conſtructa, in cujus ſummitate lampas ardens antiquitus erat die noctuque ſuſpenſa. In ea quoque aedicula erat altare, in quo olim quotidiana

pro

pro defunctis miſſa legebatur: ſed haec miſſa a ducentis fere annis propter nimiam aediculae anguſtiam, abolito altari, in ipſam eccleſiam fuit tranſlata.

XXIV.

CHARTA NOTICIAE DE PRAEDIO IN *SEELHOFEN* ABBATIAE NEOBURGENSI A *FRIDERICO* I. IMP. CONCESSO ETC. c. an. M. C. LXX. VIII.

Ex tabulario Abbatiae Novi Caſtri. (a)

Noverint univerſi tam preſentes, quam futuri quod predium in *Selboven* (b) primo poſſedimus a *friderico* Imperatore in nemore & terra arabili bene ad tres manſos & eo amplius, ac illud nobis contulit pro jure, quod habuimus tunc temporis apud *Suvelnheim* (c) ac in ſacra ſilva a *Reinboldo* Comite (d), qui in teſtamento nobis delegaverat in foreſto cum aliis bonis tertiam arborem. Sed Imperator cum eſſet prudens & potens, atque diverſa predia, propter inclitam ejus prolem in unum aggregaret, iſtud tantillum predium nobis dedit pro immenſo jure, quia ea non audebamus contradicere, ac idcirco oportebat nos iſtud acceptare. Porro cum Imperator cum exercitu Lonbardiam fuiſſet ingreſſus, ac nos grangiam modicam ibidem, ubi nunc ſita eſt, cum maximo labore conſtruxiſſemus, venit *Godefridus* comes provincialis (e), qui domicilium habebat apud *Huneburch*,

burch, & circum adjacens ſilva, quae *Meingewelde* dicitur ad eum reſpectum haberet, ac fratres noſtros vapulavit, vulneravit, ſpoliavit, ac a Loco illo expulit, ac ad alium locum apud *Mulenbach* edificia ſua transponere coegit, fratres vero noſtri ad Imperatorem nuntium deſtinantes, & in obſidione civitatis alexandrine (f) ipſum invenientes caſum, qui acciderat, Lacrimabiliter ei expoſuerunt, qui plurimum inde dolens mandavit *Rudegero* advocato (g) & *Wolframmo* Marſchalco (k), ut convocarent prefatum *Godefridum* comitem ac *Albertum* cognomento *Mule* advocatum de *Robach* (h) & filium ejus *Wilhelmum* & precones de quindecim villis circum adjacentibus, ac venirent ad locum, atque ſub jure jurando interrogarent in preſentia illorum, quid eis conſtaret de predio Imperatoris & de predio comitis, nec non & *Alberti*, qui unanimiter concordi voce dixerunt, quod eſſet Imperatoris; ac ſtatim in facie illorum illi quindecim precones idem predium ab eorum poſſeſſionibus diſtinxerunt, ac limitibus, ſicut adhuc cernitur, diviſerunt, ac tunc fratres noſtri iterato ſe, ubi nunc manent, ſe tranſtulerunt ac quiete poſtea poſſiderunt, & ne de cetero aliqualis oriretur inter nos & prefatos dominos, aut eorum heredes, ipſos terminos propriis vocabulis decreverunt exprimendos, id eſt a *lapide magno* in vinea deſcendendo, uſque ad *arborem pirum*, & inde aſcendendo uſque ad proximum *arborem eſculum* retro curiam, ac ab hinc uſque ad viam ſuperius curiam, ac inde eundo per eandem ſemitam

uſque

uſque ad *quercum*. ubi eſt monticulus qui vocatur *Leunculus*, & inde deſcendendo ad priorem lapidem, & notandum quod infra illos terminos fuit nemus, quod noſtri fratres abſcindentes primo novale fecerunt, ac pro ea edificia ibidem locaverunt atque arboribus, & vinetis, ac agris excoluerunt, unde adhuc decimas ibi dare non tenemur. Eſt vero aliud novale verſus *Ingicbwilre* (i) quod vocatur *Hanenboſcb* unde etiam decimas dare non debemus (l).

(a) Confer. *Schöpflin. Alſat. Dipl. T. 1. p. 261.*

(b) *Selhofen* olim prioratus ab Abbatia *Neoburgenſi* pendens hodie villula ab *Ingovilla* ſemileuca diſtans pertinet ad principem Haſſo-Darmſtadienſem.

(c) *Suffelnheim* vicus praefecturae Hagenoenſis.

(d) *Reinaldus* Comes Lucelburgenſis fundator Abbatiae *Neoburgenſis.*

(e) *Godefridus* Comes inferioris Alſatiae.

(f) Obſidio *Alexandriae* dictae *la paille* facta eſt in ſeptembri 1177. & duravit ad diem 13. Aprilis anni ſequentis.

(g) *Rudegerus* ſcilicet Advocatus de *Hagenau.*

(h) *Robach* Dynaſtiae Oberbronnenſis vicus leuca diſtans a *Lichtenberg.*

(i) *Ingweiler* oppidulum ſpectans ad Landgravium Haſſo-Darmſtadienſem.

(k) Marſchalcus Hagenoenſis erat primis ex judicibus nobilibus civitatis Hagenoenſis ante mutatam Regiminis formam.

(l) Charta eſt ſine notis Chronologicis. Illam ad annum 1175. aſſignat *Schöpflinus*, ſed aerae poſterioris eſſe patet ex bulla *Alexandri* III. data 21. Dec.

Dec. 1177. in qua grangia *Suvelnheim* adhuc memoratur inter poſſeſſiones Abbatiae Neoburgenſis, nec ibidem ulla fit mentio praedij in *Selboven.*

XXV.

HERRADIS DE *LANDSBERG* ABBATISSA HOHENBURGENSIS *WARNERO* ABBATI STIVAGIENSI EJUSQUE SUCCESSORIBUS LOCUM S. *GORGONIJ* CONCEDIT. Dat. an. M.C.LXX.VIII.

Ex autographo tabularij Abbatiae ſtivagienſis. (a)

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Ego *Herrat* Dei favente clementia Hohenburgenſis Eccleſiae abbatiſſa, omnibus iſta legentibus ſive audientibus aeternam in Domino ſalutem. quoniam ſecundum apoſtolicae ſententiae autoritatem ſervos Dei pro terrenis ac tranſitoriis rebus litigare non expedit. Propterea ſcripta, ſive allegationes fieri ſtatuit ſanctorum Patrum veneranda antiquitas, ut dum praecedentium ac ſuccedentium temporum longevitate rerum rationabiliter geſtarum ſeries in dubietatem, vel oblivionem vertitur, ſcripti auctoritate in medium recenſita ſcrupulus omnis amoveatur. Inter cetera ſiquidem injunctae nobis praelationis multiplicia negotia, Ego *Herrat* Deo autore Hohenburgenſis Eccleſiae abbatiſſa pia proviſioni operam dare deſiderans, locum ſancti *Gorgonii* (b) ad ſerviendum Deo aptum,

tum, & ad Hohenburgenſis Eccleſiae curam pertinentem, ad honorem Dei promovere deſiderans, ipſe Dominus bonis ſemper ſtudiis cooperator exiſtens, ſolita clementia congruum nobis ſuper hac retribuere dignatus eſt Conſilium. fratrum ſiquidem ſtivagienſium ſcilicit venerandi Praemonſtratenſis ordinis Canonicorum ſuaviſſimà religionis opinio circumquaque diffuſà, ad nos usque pervenit, de quorum ſolerti induſtria plurimum confidentes, ſpem bonam concepimus, ſcilicet ut praedictus locus cura eorum & diligentia ſpiritualibus ſtudiis plurimum foret decorandus. accito igitur Domno *Wernero* eodem tempore ejusdem ſtivagienſis Eccleſiae abbate, viro ſcilicet venerando, & ad agenda decentia proprompto, praedictum Locum S. *Gorgonii*, cum omnibus ad eum pertinentibus, & conſortium fraternitatis, & praebendam Ebdomadarii, videlicet annuatim Carratam vini, & quatuordecim maldros hiemalis frumenti, & ſeptem ordei, & viginti ſolidos argentinenſis monetae, & quicquid ſibi vel vicario ſuo, vel capellano S. *Odiliae* oblatum fuerit ad manus, nec non pratum & Sylvulam ad S. *Naborem* (c) ſitam, ac ſeptem & decem agros in *Talheim* (d), & beneficium altaris ſanctae *Odiliae* in *Ergersheim* (e) ſitum, & carratam vini in *Wolffgangesheim* (f), nec non & quorumlibet animalium paſcendi licentiam in paſcuis noſtris, unanimi conſilio & benivolentia totius congregationis & miniſterialium Hohenburgenſis eccleſiae ipſi & ſucceſſoribus ſuis eo tenore in perpetuum conceſſi, ut unoquoque abbate ſtivagienſis Eccleſiae vita decedente, vel muta-

mutato, ſucceſſor ejus praedicta beneficia cum omnibus fidelium largitione ad eundem locum collatis atque collaturis a manu Hohemburgenſis Eccleſiae abbatiſſae abſque ulla contradictione primo aditu per librum gratis recipiat, eundemque locum aedificiis divino ſervitio neceſſariis inſtituentes illuc religioſos ſui ordinis viros tam clericos, quam Laycos ad honorem Hohenburgenſis & ſtivagienſis Eccleſiae, ad ſerviendum Deo in perpetuum, delegare ſtudeant. quia vero juxta apoſtolorum ſervos Dei honore invicem prevenire convenit, hunc etiam honeſtatis cenſum a ſtivagienſi Eccleſia pro ſupradictis beneficiis omnibus exigere dignum duximus, ut praedictus abbas & ſucceſſores ipſius fraterna viſitatione, quotiescumque voluerit & exoccupatus fuerit Hohemburgenſem Eccleſiam viſitet, & in feſto ſanctae *Odiliae* & in dedicatione Capellae ejus, & in nativitate S. *Mariae* ad eandem Eccleſiam, niſi infirmitate corporis praeventus, vel aliquo Eccleſiae ſuae negotio fuerit occupatus, miſſam ſollemnem annuatim celebrare veniat. Si vero venire nequiverit, priorem vel aliam idoneam perſonam pro ſe mittat, unum etiam ex Canonicis ſuis qualemcunque voluerit, & quem ad hoc idoneum perſpexerit, ſacerdotem ebdomatarium in Hohemburgenſi Eccleſia conſtituet Inſuper & alium ſacerdotem idoneum, qui cottidie privatim ad altare ſanctae *Odiliae* miſſam celebret, qualemcunque voluerit, ſemper praevidebit. Poſtquam autem ibi conſtituti fuerint, ſi, aliqua emergente cauſa, ſtivagienſi abbati praedictos ſacerdotes amovere

 pla-

placuerit, in libertate ipſius erit, & abſque ulla contradictione abbatiſſae libere amovebit, & alios loco ipſorum honeſtos, atque religioſos ad honorem Eccleſiae & ordinis ſui reſtituere curabit. Praeterea ſi fratres ſtivagienſes & fratres apud ſanctum *Gorgonium* commorantes, aliquo temporali commodo indiguerint, ſeu habundaverint, abbas eorum paterna proviſione ea diſpenſans, pro ut diſcretioni ſuae viſum fuerit, ſingulorum indigentiam adimplere curabit. ad conſtringendum etiam inter ſtivagienſem atque Hohemburgenſem Eccleſiam Caritatis vinculum, unanimiter ſtatuimus, ut quotieſcumque alterutrarum Eccleſiarum fratres, aut ſorores ab hac luce migraverint primis ſignis concerpantibus omnibus notificetur, de hinc plenarium ſervitium in miſſis, pſalmis, vigiliis atque orationibus pro eis Domino in conventu ſollempniter celebretur. Abbatiſſis ſiquidem Hohemburgenſibus ad exitum propinquantibus, fratres ad locum ſancti *Gorgonii* commorantes eccleſiae ſtivagienſi notificabunt, & ipſe abbas, ſi affuerit, feſtinus adveniens cum praedictis fratribus earum exequiis intererit, & ſervitium divinum pro eis in conventu ſollemniter celebrabit, ut Deus omnipotens eis veniam tribuat, & in aeternae Salvationis partem reſtituat, amodo & uſque in ſempiternum, ut igitur ea quae ſupra dicta ſunt, ſua ſtabilitate permaneant, & in aevum rata perſeverent, teſtes ſubſcribi curavimus, & ſigillo ſanctae *Matris* noſtrae *Odiliae* decrevimus confirmare, ut ſi aliquis iniquitatis filius, cupiditatis naevo infectus, Hujus piae diſpoſitionis Car-

tham

tham auſu temerario infringere, minuere ſive obnubilare temptaverit, tam teſtium inſcriptione, quam ſigilli impreſſione continuo redarguatur & mendacii facinore confuſus a nullo deinceps audiatur. Hujus igitur teſtes ſunt omnis Hohemburgenſis Eccleſiae conventus, & ex miniſterialibus Eccleſiae, *Hugo* plebanus de *Altenwiller* (g), *Burchardus* de *Ebenheim* (h) & *Reinboldus* frater ejus, *Guntherus* de *Vigenbeg* (i), *Fridericus* de *Andela* (k), & *Rudolphus* frater ejus, *Theodericus* de *rupe* (l) & *Burchardus* frater ejus, *Theodoricus* de *Kolmer* (m) & frater ejus, *Wernherus* de — — — *Theodericus* de *Baldebrunne* (n), & *Ludewicus* frater ejus — *Otto* & *Fridericus* de *Rodesheim* (o), *Heſſo* & *Rudolphus* de *Ebenheym*. Acta ſunt haec & approbata coram omni Hohemburgenſi Eccleſia anno ab incarnatione Domini MCLXX.VIII. indictione XI, concurrente VI, epacta XXIX.

(a) Ediderunt *Peltre* vie de Ste *Odile* inter documenta *pag. 1.* & *Hugo* bis in *Annal. Ord. Praemonſtrat. Tom. 2. probat. col. 247. & col. 550.* ſed cum mendis.

(b) Locus ſancti *Gorgonij* inter S. *Naborem* & Abbatiam S. *Odiliae* in declivitate montis ſitus hodie in ruinis jacet, reſidua una tantum domo villici.

(c) S. *Nabor* ſitus eſt ad pedes Montis *Odiliani* quadrante ab *Ober-Otterot* diſtans, pertinet ad Majus Capitulum Argentinenſe, quod ibidem tertiam decimarum partem percipit, duabus alijs partibus ad Epiſcopum Argentinenſem ſpectantibus.

(d) *Dalheim* eſt Epiſcopi Argentinenſis.

(e) *Ergersheim* prope *Dachſtein* ad eundem pertinet Epiſcopum.

(f) *Wolcksheim* ad eundem ſpectat.

(g) Id eſt parochus Eccleſiae parochialis inferioris in *Dambaco* dictae *Altenweiler*.

(h) Familia nobilis de *Ebenheim* an. 1490. interijt. Altera vice hic fit mentio familiae de *Andlau*.

(i) Idem qui in charta fundationis monaſterij *Trutenhuſani* an. 1181. dicitur *Gunther* de *jugenhege* eccleſiae Hoenburgenſis miniſterialis.

(l) *De ſtein*, in alia enim Hohenburgenſi charta vocatur *Diethericus* de *lapide*, in diplomate *Friderici* I. Imp. pro Abbatia ſtivagienſi an. 1180. dicitur *Theodoricus* Caſtellanus *de rupe*.

(m) Familia nobilis de *Kolmer* ſive *Colmar*, cujus poſtremus *Hieronimus Chriſtopherus* anno 1580. obijt.

(n) Ex familia nobili de *balbronn* hodie extincta.

(o) Familia nobilis de *Rosheim* ineunte ſeculo decimo ſexto interijt.

XXVI.

HERRADIS ABBATISSA HOHENBURGENSIS DE DONATIONE DOMUS ET BONORUM IN *ROSHEIM* FACTA A *WILLEBIRCA* DE *ANDLAU*. Data c. an. M.C.LXX.VIII.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Karta *Herradis* Abbatiſſe.

Notum ſit tam futuris quam praeſentibus, quod *Willebirc* de *Andela* dedit ſancte *Marie* ad *Hohenburc* pro redemptione anime ſue & mariti ſui

ſui *Vernheri* & patris ac matris, omniumque parentum ſuorum per manum *friderici* Imperatoris domum lapideam, quam habuit in *Rodesheim* (a), & curiam adjacentem inſuper etiam dedit per manum praedicti Imperatoris triginta agros & unum ac dimidium praedii & hereditatis, ac duas curtes, ea conditione, ut perpetualiter libera poſſeſſione ſerviat predicte eccleſie *Hohenburc*, & in die anniverſarii ejus inde congregationi dentur piſces pro quinque ſolidis. hujus quidem rei teſtes ſunt *Gunther* de *Vienhege*, *Dietherícus* de *lapide* & frater ejus *Burchardus*, *Lampertus*, *Rudolfus* de *Ebenheim*, *Walther* Sculterus de *Ebenheim*, *Cuonradus* villicus, *fridericus* Cellerarius de *Rodesheim*, & alii quam plures.

(a) *Rosheim* familia de qua ſupra.

XXVII.

HERRADIS ABBATISSA HOHENBURGENSIS DE OFFICIJS HEIMBURGIJ ET BANWARTI IN *INGMARSHEIM* CONSTITUENDIS. c. an. M. C. LXXVIII.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Notum ſit tam futuris, quam preſentibus quod *Herrat* Dei gratia Hohenburgenſis Eccleſie abbatiſſa divino auxilio & voluntate advocati & Sculteti de *Ebenheim* (a) *Waltheri* ac juſto judicio mi-

miniſterialium duo officia in *Ingemarsheim* (b) concedenda ſcilicet Heimburgium & Banwartum prefate eccleſie in diebus ſuis reſtituit, que prius oblivionis neglectu pro arbitrio villanorum per aliquod tempus erant commiſſa & eccleſie in *Hohenburc* injuſte ablata. Eadem quippe officia debet villicus abbatiſſe perpetuo jure illis hominibus concedere, quos electio villanorum ad hec convenientes & providos deliberaverit; & ſi velint predicta officia anuatim permutare, illis licebit. Hujus rei teſtes ſunt *Bertholt* predicte ville plebanus, & junior *Bertholt*; *Burkart* de *Ebenheim*, *Gunther* de *Vienhege*, *Walther* ſcultetus de *Ebenheim*, *Billunc* de *Meiſtersheim*, *Lamprebt* de *Ebenheim*, *Wernher* de *Ingemarsheim*, *Dieterich* de *Heimenſode*, *Sifrit* Cellerarius, *Berthram*, *Ruodolf*, *Heinrich* & ceteri omnes in eadem villa.

(a) *Oberehnheim.*

(b) *Ingmarsheim* vicus dimidia leuca ab *Oberehnheim* diſtans verſus *Biſchoffsheim*, hodie deſtructus, cujus incolae an. circiter 1298. *Oberehenhemium* migrarunt.

XXVIII.

ALEXANDER III. PP. BONA ET JURA ABBATIAE NEO-VILLARIENSIS CONFIRMAT. Dat. VI. ſept. M.C.LXXVIII.

Ex autographo Collegiatae Neovillarienſis (a).

A*lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Petro* abbati *Novillarenſis* monaſterii, ejusque fratribus, tam preſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe ſuffragium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit Sacrae religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus; inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Dei timorem, & beati *Benedicti* regulam in monaſterio veſtro inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona idem monaſterium in praeſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, praeſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ip-

ſum, in quo praefatam monaſterium ſitum eſt, cum villa (b) & integritate juſtitiae, cum banno, cum terris cultis & incultis, vineis, pratis, ſilvis, molendinis, aquarum decurſibus & aliis ſuis pertinentiis, eccleſiam quoque Beati *Adelfi* (c) in eadem villa cum ſuis pertinentiis, eccleſiam de *Buchswilre* (d) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Hummenesheim* (e) cum decima & curia, & aliis ſuis pertinentiis, eccleſiam de *Ingewilre* (f) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis, Capellam de *Menechenhoven* (f) & curiam cum ſuis pertinentis, eccleſiam de *Zuzendorf* (g) cum decima; eccleſiam de *Biſcovesholtz* (h) cum decima; villicationem de *Dozbenheim* (i) cum omni integritate juſtitiae; eccleſiam de *Eroldesheim* (l) cum decima, eccleſiam de *Monolswilre* (m) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Cella* (n) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis; decimam quam habetis in *Walesheim* (o) cum aliis poſſeſſionibus veſtris inibi jacentibus curiam veſtram de *Waltorff* (p) cum ſuis aliis, pertinentiis; & curiam de *Griesbach* (q) cum integritate juſtitiae & aliis ſuis pertinentiis, curiam *Pfaffenholtz* (r) cum ſuis pertinentiis; curiam de *Sparresbach* (s) cum ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Hofelden* (t) cum decima; eccleſiam de *Azzenheim* (u) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Onolvesheim* (x) cum decima; eccleſiam de *Snersheim* (y) cum decima & domo veſtra lapidea, ac horreo veſtro inibi facto; eccleſiam de *Routdehe* (z) cum decima & curia, cum omni integritate juſtitiae & aliis ſuis pertinentiis; curiam

am de *Tranchenheim* (aa) cum ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Truthersheim* (bb) cum decima; eccleſiam de *Luttenheim* (cc) cum decima; eccleſiam de *Weſth* (dd) cum decima; eccleſiam de *Zuzelſa* (ee) cum decima, in epiſcopatu argentinenſi. In Epiſcopatu vero Metenſi ſubſcriptas eccleſias; eccleſiam de *Lara* (ff) cum decima & curia cum aliis ſuis pertinentiis: Eccleſiam de *Wintersberc* (gg) cum decima & curia & aliis ſuis pertinentiis; eccleſiam de *Weltering on*, (ii) cum decima & curia *Emmingon* (ll) & aliis pertinentiis ſuis; curiam de *Helgeringon* (mm) cum ſuis pertinentiis, decimam ſalice terra de *Buchenheim* (nn) eccleſiam de *Kozzingon* (nn) cum decima eccleſiam de *Kirchberc* (oo) cum decima, eccleſiam de *Nunkirchon* cum decima, eccleſiam de *Dunningon* cum decima & curia & ſuis aliis pertinentiis, & cum omni integritate juſtitiae; eccleſiam de *Aubocurt*, cum decima & curia *Wintermunt* cum integritate juſtitiae & aliis ſuis pertinentiis; molendinum quoque & piſcaturam & curiam in Metenſi civitate, in vico, qui dicitur *Capelru*, cum omnibus ſuis pertinentiis. Et in Archiepiſcopatu Maguntino eccleſiam de *Enſeltheim* cum decima & aliis poſſeſſionibus veſtris inibi jacentibus. Redditus vero clericorum & eccleſiarum veſtrarum, quos ex antiqua & canonica conſuetudine vobis prebere tenentur, auctoritate vobis apoſtolica confirmamus. Sane novalium veſtrorum, quae propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere preſumat. In parrochialibus vero eccleſiis, quas habetis, liceat vobis, clericos eligere,

& epiſcopo praeſentare, quibus, ſi idonei fuerint, epiſcopus curam animarum committat, ut ei de Spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant reſpondere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina officia celebrare. Criſma vero, oleum ſacrum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a dioceſano ſuſcipiatis epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam apoſtolicae ſedis habuerit, & ea vobis gratis & absque pravitate vel exactione aliqua voluerit exhibere, alioquin ad quemcunque malueritis antiſtitem recurratis, qui noſtra fultus auctoritate quae poſtulantur, indulgeat, obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptioni aſtutia, ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii Sanioris ſecundum Dei timorem & beati *Benedicti* regulam providerint eligendum. ſepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremae voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; Salva tamen juſtitia illarum eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra

tegra conſerventur eorum, pro quorum Gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalva apoſtolicae ſedis auctoritate, & diocesani Epiſcopi canonica juſtitia, ſi qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti*, aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant, amen. amen. Ego *alexander* Catholicae Eccleſiae epiſcopus, † ego *Hubaldus* Hoſtienſis Epiſcopus, † ego *Joannes* presb. cardinalis ſanctorum *Johanis* & *Pauli* titulo *Pamachii*. † Ego *Joannes* presbiter Card. tit. Sancti *Marci*. † ego *Ardicio* diaconus Cardinalis Sancti *Theodori*. † ego *Cinthius* diaconus Cardinalis Sancti *Adriani*. † ego *arduinus* diac. Cardinalis ſanctae *Mariae* in via lata. Datum *Tuſcalani*, per manum *Alberti* Sacrae romanae eccleſiae presbiteri cardinalis & cancellarii VIII. idus ſeptembris, indictione XI, incarnationis Dominicae anno MCLXXVIII, pontificatus vero domni *alexandri* Papae III, anno XVIIII.

(a) Confer. cum *Schöpflin Alſat. Dipl. T. I. p. 264.*

(b) *Neuweiler* hodie pertinet ad principem Haſſo-Darmſtadienſem, in quo jura quaedam Dominicalia conſervavit Collegiata Neo Villarienſis, quae ibidem decimis omnibus & jure patronatus gaudet.

(c) Eccleſia S. *Adelfi* in *Neovilla* hodiedum exiſtit; erat tunc eccleſia Canonicorum S. *Adelfi*, antequam ſeculari toga an. 1496. donata fuiſſet Abbatia Neovillarenſis, cujus eccleſia SS. *Petro & Paulo* erat dedicata.

(d) *Buchsweiler* oppidum, praecipuus Comitatus Haſſo Hanovio Lichtenbergenſis locus, jus patronatus ibidem amiſit Collegiata Neovillarenſis, ex quo mutata fuit ibi religio, haec eccleſia tamen gaudet adhuc duobus decimarum trientibus, tertio fabricae conceſſo.

(e) *Imsheim* vicus leuca a *Buchsweiler* diſtans ad Landgravium Haſſo Darmſtadienſem pertinet. De jure patronatus & decimis idem eſt ac in *Buxovilla.*

(f) *Ingweiler* oppidulum pertinens ad principem Haſſo-Darmſtadienſem, ibi jure patronatus & duobus decimarum trientibus gaudet Collegiata Neovillarenſis.

(f) *Menchenhofen* quadrante ab *Ingovilla* diſtans ſpectat ad eundem principem, dicta Collegiata habet duos decimarum trientes.

(g) *Zuzendorff* a *Pfaffenhoven* leuca diſtans pertinet ad D. de *Gayling.*

(h) *Biſcholz* a *Lichtenberg* leuca diſtans eſt Principis Haſſo Darmſtadienſis.

(i) *Doſenheim* ad *Zinzelam* diſtans quadrante a Neovilla pertinet ad Marchioniſſam de *Roſen*, decimas ibidem colligit, Neovillarienſis Eccleſia Collegiata.

(l)

(l) *Ernsheim* prope abbatiam S. *joannis* vicus pertinet ad Darmſtadienſem, ibi jure patronatus & duobus decimarum trientibus gaudet Collegiata Neovillarienſis.

(m) *Munolſweiler* prope *Tabernas Alſaticas* pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem, jus patronatus & decimas ibidem habet collegiata antedicta.

(n) *Zell* im thal vicus prope *Neo-villam* deſtructus, reſiduum eſt tantum molendinum, quod ad Darmſtadienſem ſpectat, decimas, ſervavit ibidem Collegiata ſaepe dicta.

(o) *Wahlenheim* vicus praefecturae Hagenoenſis.

(p) *Waltorff* hodie *Boſſendorff* ejusdem praefecturae vicus, in quo Collegiata Neovillarienſis habet dimidiam decimarum partem.

(q) *Griesbach* ſemi-leuca a *neovilla* diſtans pertinet ad Darmſtadienſem, decimas percipit collegiata praedicta.

(r) *Pfaffenholtz* vicus prope *ober - ſultzbach* ſitus leuca a *Bunovilla* diſtans, hodie deſtructus. Locus vero *Ober-Sultzbach* pertinet ad Darmſtadienſem & Collegiata Neo-Villarienſis dicti loci olim patrona hodiedum habet duos decimarum trientes.

(s) *Sparsbach* a *Weitersweiler* leuca diſtans in dynaſtia Oberbronnenſi ſitus eſt; decimis fruitur ibidem praedicta Collegiata.

(t) *Hochfelden* pertinet ad D. de *Ichtersheim*; ibi jure patronatus & tribus decimarum quadrantibus gaudet Collegiata Neovillarenſis.

(u) *Hoh-azenheim* pertinet ad Darmſtadienſem, ibi decimas frumenti percipit Collegiata Neovillarienſis, decimis vini parocho in *Wingersheim* conceſſis; jure patronatus ibidem olim gaudebat dicta Collegiata.

(x)

(x) *Olviſheim* ſpectat ad D. de *Berſtett* & de *Dettlingen*. Dimidiam decimarum partem ibidem habet praedicta Collegiata.

(y) *Schernſheim* pertinet ad Abbatiam Maurimonaſterienſem; jure patronatus & decimis ibi gaudet ſoepedicta Collegiata.

(z) *Reitwiler* ſemi leuca a *Rumerſheim* diſtans eſt Principis Darmſtadienſis, decimis ibi fruitur dicta Collegiata Eccleſiae parochialis olim quoque patrona.

(aa) *Hoh-franckenheim* tribus leucae quadrantibus ab *Hochfelda* diſtat, ibi decimis quibusdam fruitur Collegiata praedicta.

(bb) *Truchterſheim* pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem, decimis & jure patronatus fruitur Collegiata Neovillarienſis.

(cc) *Leutenheim* ad dictum ſpectat Eſpicopum in quo uno decimarum quadrante gaudet dicta Collegiata; Ejusdem Praepoſitus ibidem exercet jus patronatus.

(dd) *Weſthauſen* eſt Epiſcopi Argentinenſis.

(ee) *Zinſweiler* ad *Zinzelam* vicus dynaſtiae Oberbronnenſis.

(ff) *Lohr* leuca cum dimidia a Caſtro *Lucelſtein* ſitus pertinet ad Ducem Bipontinum.

(gg) *Wintersberg* prope *Crauffthal* ad eundem Bipontinum pertinet, ſitus eſt cum vico *Lohr* in dioeceſi Argentinenſi.

(hh) *Weislingen* prope *Crauffthal*, de quo ut in *Wintersberg*.

(ii) *Hemming*.

(ll) *Heringen* in comitatu Luzelſteinenſi ſitus ad Ducem Bipontinum ſpectat.

(mm) hodie *Boucquenom*.

(nn) hodie *Goſſelingen*.

(oo) *Kirchberg* ſeu *Kirprich* ad *Saram* fluvium.

XXIX.

XXIX.

ALEXANDER III. PP. CONFIRMAT BONA ET PRIVILEGIA ABBATIAE MAURIMONASTERIENSIS. Dat. XII. Apr. M.C.LXX.IX.

Ex autographo tabularij Maurimonaſterienſis. (a)

A*lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Garnerio* abbati *Maurimonaſterii* ejusque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. quotiens a nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus & prefatum monaſterium, in quo divino eſtis mancipati obſequio, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Dei timorem & beati *Benedicti* regulam in ipſo monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur; preterea quoſcunque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, praeſtante domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum, in quo veſtra eccleſia

cleſia ſita eſt, cum toto ambitu ſuo & pertinentiis ſuis; Eccleſiam parochialem in eadem villa cum eccleſiis ei adtitulatus, & decimam de omnibus illis vicis, qui ad monaſterium ſpectare noſcuntur; terminos quoque, ſicut eos vobis aſſignavit bone memorie *Theodoricus* Rex francorum, & intra terminos illos bannum cum teloneo, juſticias cenſus, redditus, terras cultas & incultas, ſylvas, paſcua, molendina aquas aquarumque decurſus, apud *Onolsvesheim* (b) Eccleſiam cum villis ſibi adtitulatis, decimam, curiam dominicatam cum banno & omnibus appendiciis ſuis, apud ſanctam *crucem* (k) Capellam & decimam, bannum etiam cum omni appenditiis ſuis, apud *Betebur* (c) Eccleſiam cum decima & curiam cum omnibus appenditiis ſuis, apud *Duncenheim* (d) eccleſiam cum decima, & curiam cum poſſeſſionibus ſuis. apud *Ceinheim* (e) curiam cum banno & ceteris appenditiis ſuis. apud *Weſthovem* (f) Eccleſiam cum decima & curiam cum omnibus pertinentiis ſuis. apud *Willegoltheim* (g) jus, quod ibi in quadam eccleſia habetis, cum parte decimae & quibusdam agris. apud *Egersheim* (h) curiam cum quibusdam agris & vineis, & inſuper Eccleſiam quam bone memorie *Ortliebus* Baſilienſis Epiſcopus (i) vobis cum libera ſepultura pia devotione conceſſit, & ſigilli ſui munimine roboravit, apud beatum *Petrum* curiam argentinenſem cum exitu viae ad ipſam beati *Petri* Eccleſiam. aqud *Dozenheim* (m) curiam cum banno, juſtitias quoque & redditus cum poſſeſſionibus ſuis; curias & poſſeſſiones apud *Snarsheim* (n), *francgenheim* (o), *Uthelheim* (p), *Berolvesheim* (q), *Sulze* (r), *Cebenackre* (s), *fridesheim* (t), *Stillars-*

larsheim (u), *Guntramesheim* (x), *Botramesheim* (y), *Dancratesheim* (z), cum omnibus appenditiis ſuis, cenſus quoque & redditus, quos in aliis villis habetis, in ſylva vaſtiſſima quae voſagus dicitur, cellam beati *Quirini* martyris eccleſiam cum duobus viculis ei adtitulatis, decimam quoque cum terminis ei aſſignatis, cum banno, juſtitiis, redditibus, agris, cultis & incultis, ſylvis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis aquarumque decurſibus apud vicum *Helde*, curiam & poſſeſſiones, Eccleſiam liberam cum decima, juſtitiis & redditibus ſuis. apud *Ruchesingen* Eccleſiam cum vico ſibi aſſignato, cum decima poſſeſſiones quoque, redditus annuos & juſtitias. apud *Marcſalis*, ubi ſal conficitur, octo Patellas cum omni libertate ſicut eas ab antiquo quiete & pacifice noſcimini poſſediſſe, ſane liceat vobis clericos vel Laicos e ſeculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem in veſtra eccleſia recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere, cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis, excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſubpreſſa voce, divina officia celebrare. ſepulturam quoque loci illius liberam eſſe concedimus, eorum devotioni & extremae voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati ſint vel interdicti, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia parochialium Eccleſiarum a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia preponatur, niſi quem fra-

ſratres communi conſenſu, vel fratrum pars ſanioris conſilii ſecundum Dei timorem & Beati *Benedicti* regulam previderint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablata retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur tuis, vel eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva apoſtolicae auctoritate & dyoceſani Epiſcopi canonica juſtitia, ſi qua ergo in futurum eccleſiaſtica, ſaecularisſue perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire temptaverit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat cunctis autem eidem monaſterio ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quatinus & hic fructum bone operationis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterna pacis inveniant, amen.

Ego *Alexander* catholicae Eccleſiae epiſcopus † ego *Hubaldus* hoſtienſis epiſcopus. † ego *Johannes* presbyter card. SS. *Joannis* & *Pauli* tit. *Pamachii* † ego *Conradus* Saltzburgenſis humilis miniſter & ſabinenſis epiſcopus. † Ego *Theodinus* presbyter cardinalis ſancti *Vitalis* & *Vertine*, † ego *Petrus* Presbyter cardinalis tit. Sanctae *Suſannae*

† ego

† ego *Cynthius* presb. card. tit. *ſanctae Ceciliae.* † ego *Hugo* presb. card. tit. S. *Clementis.* † ego *Jacintus* diaconus card. S. *Mariae* in *Coſmedin.* † Ego *ardicio* diac. card. S. *Theodori.* † ego *Laborano* diac. card. S. *Mariae* in *porticu.* † ego *Joannes* diac. cardin. S. *Angeli.* Datum *laterani* per manum *Alberti* Sanctae Romanae Eccleſiae presbyteri card. & Cancellarii II. idus aprilis, indict. XII., Incarnationis Dominicae anno. MCLXX.VIIII., pontificatus vero Domini *Alexandri* Papae III. anno XX.

(a) Brevem hujus bullae extractum exhibet *Ruinartus* in *itinere litterario in Alſatiam*, quod edidit *Thuiller* inter ouvrages poſthumes de *Mabillon* & de *Ruinart Tom. III. pag. 452.* Confer. *Schöpflin. Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 268.* ubi tota legitur.

(b) *Olviſheim.* (c) *Bedebur.* (d) *Duntzenheim.* (e) *Zeinheim.* (f) *Weſthoven.* (g) *Wilgotheim.* (h) *Egisheim.*

(i) *Ortliebus* Baſileenſi Eccleſiae ab an. 1138. ad 1167. praefuit.

(l) id eſt prope Eccleſiam S. *Petri* Argentinenſem.

(m) *Doſſenheim.* (n) *Snersheim.* (o) *Franckenheim.* (p) *Utelnheim.* (q) *Bernisheim.* (r) *Sultz.* (s) *Zebenacker.* (t) *Fridolsheim.* (u) *Tillersmünſter.* (x) *Ginsheim.* (y) *Botzheim.* (z) *Dangolsheim.*

(k) hodie *Singriſt.* in antiquis chartis locus iſte dictus eſt *ſignum Chriſti.*

 XXX.

XXX.

FRIDERICUS I. IMP. DONATIONEM LOCI S. *GORGONIJ* AB *HERRADE* ABBATISSA HOHENBURGENSI FACTAM CONFIRMAT. Dat. XII. Octobris M.C.LXX.IX.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis. (a)

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Ego *fridericus* Dei favente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus, tam futuris quam preſentibus. Quoties ea petuntur, quae religioni congruunt, ſervorumque Dei paci & tranquilitati neceſſaria ſunt, gratum nos aſſenſum praebere, & benigne parere convenit, ut devoto corde Deum pro nobis interpellare ſtudeant, quatenus dum temporaliter regnamus, feliciter vivere, & in futura vita cum Chriſto & ſanctis ejus mereamur aeternaliter regnare. qua propter omnium fidelium, precipue tamen principum noſtrorum auribus intimamus, quod venerabilis *Herrat* Hohenburgenſis Eccleſie fidelis & prudens abbatiſſa, Theſaurizare ſibi volens miſericordiam de die irae, Locum ſancti *Gorgonii* pene deſolatum ad honorem Dei & eccleſiae ſuae, ad cujus curam idem ſpecialiter pertinet promovere deſiderans, religioſi Premonſtratenſis ordinis canonicis ad ſerviendum ibidem Deo conſtituere curavit, domino ſiquidem *Warnero* Eccleſiae ſtivagienſis abbati & ſucceſſoribus ſuis predictum locum cum omnibus ad eum pertinentibus, ea intentione in perpetuum conceſſit,

ceſſit, ut eundem officiis divino ſervitio congruis inſtituentes, illuc religioſos Eccleſiae ſuae viros, tam clericos quam Laycos in perpetuum delegare ſtudeant; fraternitatis etiam conſortium & prebendam ebdomatarii annuatim ſcilicet Carratam vini, & quatuordecim maldros hyemalis frumenti, & ſeptem hordei, vigintique ſolidos argentinenſis monetae, & quidquid ſibi, vel vicario ſuo, vel Capellano Sanctae *Odiliae* oblatum fuerit ad manus, nec non pratum & Sylvulam ad Sanctum *Naborem* ſitam, & ſeptemdecim jugera terrae in *Thalheim*, & beneficium altaris S. *Odiliae* in *Ergersheim* ſitum, atque Carratam vini in *Wolsgansheim* cum omnibus decimis tam pratorum, quam agrorum ad Sanctum *Gorgonium* poſitorum & quorumlibet animalium paſcendi licentiam in Hohenburgenſibus paſcuis, unanimi conſilio & benevolentia totius congregationis & miniſterialium, ipſi & ſucceſſoribus ejus, ea conventione conceſſit, ut unoquoque ſtivagienſis Eccleſiae abbate vita decedente, vel permutato, Succeſſor ejus eadem beneficia cum omnibus ad eundem locum collatis & collaturis a manu abbatiſſae, quae illis diebus Hohenburgenſi Eccleſiae praefuerit, absque ulla contradictione primo aditu per librum gratis recipiat, & quamdiu ſtivagienſis Eccleſiae praelaturam habuerit, in pace teneat; & quia ſervos Dei honore invicem prevenire convenit, hunc honeſtatis cenſum a praefato abbate & ſucceſſoribus ejus eadem abbatiſſa exigere dignum duxit, ut quotienſcumque voluerit, & exoccupatus fuerit, fraterna viſitatione Hohenburgenſem Eccleſiam viſitet, & in feſto

Sanctae *Odiliae*, & in dedicatione Capellae ejus, & in nativitate Sanctae *Mariae* ad eandem Eccleſiam niſi infirmitate Corporis preventus, vel aliquo Eccleſiae ſuae negotio fuerit occupatus, miſſam ſolemnem annuatim celebrare veniat; ſi vero venire nequiverit, priorem vel aliam idoneam perſonam pro ſe mittat, quia ergo, mundi malitia creſcente, ſtatuta bonorum impios & malignos homines ſubvertere plerumque contingit, praedicta abbatiſſa noſtram ſerenitatem adire ſtuduit, humiliter petens, ut predicti pacti ſtatutum ſecundum continentiam privilegii eorum aliquibus regiae auctoritatis indiciis confirmaremus. Nos autem propriae ſaluti & utilitati fratrum in praedicto loco Deo ſervientium ſollicite conſulentes, petitionique ejus benigne annuentes, ſcripti noſtri auctoritate confirmare, & ſigilli noſtri impreſſione corroborare decrevimus. Signum domini *friderici* Romanorum Imperatoris invictiſſimi, Ego *Gotefridus* cancellarius vice *Chriſtiani* Moguntini archi Epiſcopi, totius Germaniae archicancellarii recognovi. Acta ſunt haec anno Dominicae incarnationis MCLXXVIIII. indictione XII, regnante Domino *friderico* regni ejus XXVIII, Imperii autem vigeſimo quinto feliciter Amen. (b) Datum apud *Ebenheim* quarto idus octobris.

(a) Ediderunt ſed non omnino abſque mendis *Peltre* vie de Ste *Odile* inter documenta *pag. 10.* & *Hugo Annal. ord. Praemonſtr. Tom. 2. probat. Col. 249* & *552.* retulerunt quoque *Galliae Chriſtianae Auctores Tom. V.* inter inſtrumenta p. 485 & 486. ſed charta ibidem miſere truncata eſt; prima

ma enim pars deſumpta eſt ex ipſo *Friderici* diplomate uſque ad haec verba: *humiliter petens, ut praedicti pacti ſtatutum ſecundum Continentiam privilegij eorum aliquibus.* Altera vero pars cum ipſa data deſcripta eſt ex charta *Henrici* Epiſcopi data 20. januarij 1183. infra edenda incipiendo ab his verbis: *praeterea, ſi fratres ſtivagienſes & fratres apud ſanctum Gorgonium &c.* uſque ad finem chartae dicti *Henrici* Epiſcopi.

(b) Remanſit ſigillum *Friderici* Imp. integrum. Siſtitur is in forma ſenis ſedens in ſella antiquae formae. Corona ejus mitram Gemmatam repraeſentat. Dextra tenet ſceptrum, ſiniſtra globum cruce ſignatum. Indutus eſt veſte oblonga cum cingulo & pallio ad latus aperto. Inſcriptio haec verba refert: *Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.*

XXXI.

FRIDERICUS DUX ALSATIÆ ET ADVOCATUS HOHENBURGENSIS ABBATIAE DONATIONEM S. *GORGONIJ* MODO MEMORATAM CONFIRMAT. Dat. M.C.LXX.IX.

Ex autographo tabularij ſtivagienſis. (a)

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis, Ego *fridericus* Dei favente clementia *Elizatii* Dux (b), Hohenburgenſisque Eccleſiae advocatus omnibus iſta legentibus, tam futuris quam praeſentibus. ſicut perverſorum hominum malignitatis diſpoſitio reprimenda eſt, ne innoteſcat, ſic nimirum pia piorum inſtitutio Katholicorum principum

principali auctoritate corroboranda eſt, ne diſpereat. Reverenda ſiquidem *Herrat* Dei providentia Hohemburgenſis Coenobii & nomine & merito abbatiſſa, ad retinendam nominis ſui memoriam in benedictione Sancti *Gorgonii* locum pene deſolatum ad honorem Dei promovere deſiderans, accito Praemonſtratenſis ordinis Canonicorum Venerando *Warnero* Eccleſiae ſtivagienſis abbate, praefatum locum cum omnibus ad eum pertinentibus ea intentione ipſi & ſucceſſoribus ipſius in perpetuum conceſſit, ut eundem locum officiis divino ſervitio neceſſariis inſtituentes illuc religioſos ordinis ſui viros tam clericos, quam Laycos ad honorem utriusque Eccleſiae ibidem ad ſerviendum Deo delegare ſtudeant. conſortium etiam fraternitatis & praebendam ebdomadarii annuatim ſcilicet Carratam vini & quatuordecim maldros hyemalis frumenti & ſeptem ordei, & viginti ſolidos argentinenſis monetae, & quidquid ſibi aut vicario ſuo, vel Capellano ſanctae *Odiliae* oblatum fuerit, ad manus, nec non & pratum & ſylvulam ad ſanctum *Naborem* ſitam, & ſeptemdecim jugera terrae in *Thalheim*, & beneficium altaris ſanctae *Odiliae* in *Ergersheim* ſitum, atque Carratam vini in *Wolffgansheim* cum omnibus decimis tam pratorum, quam agrorum ad ſanctum *Gorgonium* poſitorum, & quorumlibet animalium paſcendi licentiam in Hohemburgenſibus paſcuis, unanimi conſilio & benivolentia totius congregationis & miniſterialium Hohenburgenſis Eccleſiae ipſi & ſucceſſoribus ſuis ea conditione conceſſit, ut unoquoque abbate Stivagienſis Eccleſiae defuncto vel permutato,

tato, ſucceſſor ejus eadem beneficia cum omnibus ad praedictum locum collatis & collaturis a manu abbatiſſae quae illis diebus eccleſiae Hohemburgenſi praefuerit, abſque ulla contradictione primo aditu per librum gratis recipiat, & quam diu ſtivagienſis Eccleſiae praelaturam habuerit, in pace teneat, & quia ſervos Dei honore invicem prevenire convenit, Hunc honeſtatis cenſum a praedicto abbate & ſucceſſoribus ejus eadem abbatiſſa dignum duxit, ut quotienscunque voluerit, & exoccupatus fuerit, fraterna viſitatione Hohemburgenſem Eccleſiam viſitet, & in feſto Sanctae *Odiliae*, & in nativitate Sanctae *Mariae* ad eandem Eccleſiam niſi infirmitate corporis praeventus, vel aliquo Eccleſiae ſuae negotio fuerit occupatus, miſſam ſollempnem annuatim celebrare veniat, ſi vero venire nequiverit, priorem vel aliam ydoneam perſonam pro ſe mitat, quia ergo eadem Hohemburgenſis eccleſia advocatiae noſtrae protectione ſpecialiter pertinet, ea quae ſupradicta ſunt, & reliqua omnia ſecundum tenorem privilegii eorum Laudamus, & ut tam poſterorum quam modernorum memoriis tradantur ſcripto confirmamus, & impreſſione ſigilli noſtri corroborare curamus, ne quis videlicet in poſterum temeraria praeſumptione praedictam eccleſiam ſuper tam rationabilis pacti ſtatutum audeat inquietare, vel aliquatenus conturbare. Datum apud *Ebenheim*, anno Dominicae Incarnationis MCLXXVIIII, indictione XII, IV. idus octobris.

(a) Ediderunt *Peltre* vie de Ste *Odile* inter documenta *pag. 19.* & *Hugo Annal. ordin. Praemonſtr. Tom. 2. prob. Col. 250.* & *553.* ſed non ſatis emendate.

(b) *Fridericus* ſcilicet filius natu ſecundus *Friderici* Imperatoris, cui pater an. 1167. Alſatiae & Sueviae Ducatus commiſit, qui cum patre in Aſiam profectus in *Ptolomaidis* obſidione anno 1191. interijt.

XXXII.

ALEXANDER III. PP. *WURTRUDI* ABBATISSAE ASCHOVIENSI ET EJUS ABBATIAE BONA ET PRIVILEGIA CONFIRMAT. Dat. M. C. LXXX.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

A*lexander* Epiſcopus ſervus Servorum Dei, dilectis in chriſto filialibus *Wurtrudi* abbatiſſe monaſterii Sancte *Sophie* & filiarum ejus de *Aſcowe*, ejusque ſororibus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Prudentibus virginibus, que ſub habitu religionis accenſis lampadibus per opera Sanctitatis jugiter ſe preparant ire obiam ſponſo, apoſtolica ſedes debet impertiri preſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacre religionis infringat.

Ea

Ea propter, dilecte in Chriſto filie veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus & prefatum monaſterium, in quo divino eſtis obſequio mancipate ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis Scripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & beati *Benedicti* regulam in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur; preterea quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona idem monaſterium in preſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci firma vobis & his, que poſt vos ſucceſſerunt, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus, exprimenda vocabulis (a); locum ipſum, in quo preſcriptum monaſterium conſtructum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, quemamodum bone memorie *Remigius* argentinenſis eccleſie Epiſcopus cum omni integritate vel ſoliditate, cum domibus, edificiis, curtis, pomiferis, mancipiis, vineis, ſilvis, Campis, terris, proterrariis, farranariis, paſcuis, peculiis, utriusque tam minoris, quam majoris ſexus, aquis aquarumque decurſibus, vel quidquid ad inſulam *Aſcowe* pertinuit, eidem monaſterio pia liberalitate donavit, vobis auctoritate apoſtolica confirmamus. Inſulam, que dicitur *Zuzenowe*, cum harena in qua aurum colligitur. In villa *Cordebe* (b) curiam cum conductu eccle-

ſie

ſie & ſervitio parrochialis ſacerdotis tribus ſcilicet maturis porcis & trecentis ovis, & triginta capponibus in eadem villa, octo libras argentinenſis monete, & obulum de tributariis mancipiis; villam *Olswilere* (c) cum agris, pratis, molendino & omnibus appendiciis ſuis, in *Birnheim* (d) tres manſos; in *Doumenheim* (e) manſum unum; in *Keſtenboulz* (f) curtem dominicalem cum vineis & prato & novem manſibus; Capellam S. *Michaelis* ante civitatem argentinam; In *Illekirchen* (g) novem manſos tributarios; in villa *Roviaca* (h), curtem dominicalem cum vineis, agris, pratis, molendinis, mancipiis XXIIII, domorum areis decem, & octo frumenti plauſtralis, cum conſequenti jure. In eadem villa VII. ebdomadarii Servitia, cum viginti tribus ſitulis vini, eccleſiam ejusdem ville, cum quatuor partibus decimarum ad eandem eccleſiam pertinentium, quintam vero partem predictus Epiſcopus, propter opulentiam ville & decimarum immenſitatem parochiali ſacerdoti tantum indulſit. preterea ſtatuit ut predictus Cenobii conventus quolibet biſextili anno de quatuor partibus decimarum in ſervitium epiſcopi, in cujus terminis villa predicta ſita eſt, Baſilienſis monete decem erogaret libras. predictus etiam epiſcopus propter dilectionem reliquiarum prenominatarum, oblationes que in aſſumtione & Nativitate Sancte *Marie* infra nonam horam prioris diei & Sollempnem miſſam feſtivi diei altaribus Rubiacenſis eccleſie offerebantur, in ſumptum luminarium praedicto monaſterio dati conſtituit. Poſt longum vero intervallum temporis, predicto monaſterio per tyrannidem Ungarorum deſtructo,

deſtructo, bone memorie argentinenſis Epiſcopus *Vinderoldus* nomine divina revelatione ammonitus ejusdem monaſterii reſtaurator extitit, atque laudabile factum predeceſſoris ſui corroboravit, corroborando ne eſſet inopia timentibus Deum: in *Guondoldesheim* (i) curtem dominicalem, cum tribus manſibus & molendinum, in *Menheiem* (l), curtem dominicalem cum tribus manſibus & molendinum, in *Veſcenheim* (m) juxta Renum curtem cum plurimis mancipiis; in *Egesheim* (n) curiam unam; in *Wittenheim* (o) novem manſos & Capellam S. *Margarete*; in villa que dicitur *Danne* (p) manſum unum cum quatuor vineis; in *Ufheltz* (q) curtem unam & vineam cum prato, in *Namenbesheim* (r), juxta Renum ſex manſos cum portu, in villa *Aſpach* (s) curtem unam cum duobus manſibus villam *Bedendorf* (b) cum pratis, nemoribus, mancipiis & XXXII. manſibus; Capellam S. *Germani* (c) in *Caſtro*; in argentinenſi Epiſcopatu eccleſiam ville *Kerzevelt* (d) cum decimis & VIII. manſuum & tocius banni ejusdem villae. ex utraque parte fluvii, qui dicitur *Scere*, & de allodiis in eadem parrochia locatis firma donatione predicte delegavit eccleſiae. Succeſſor vero *Wideroldi*, *Willehelmus* bone memorie argentinenſis Eccleſiae Epiſcopus, tanquam divini cultus amator, in *Achenheim* (e) curtem dominicalem cum banno & villicatione ejusdem ville, cum vineis, pratis, nemoribus, piſcinis, duobus molendinis, XXVII, manſibus & eccleſiam *Rothenkirchen* cum Parrochia *Sciltenkeim* (f) in *Vendenheim* (g), manſum unum, in *Alburnen* (h) duos manſos & VI. jugera vinearum,

rum, in *Diefendale* (i), pratum unum praedicto delegavit monaſterio. Hujus etiam ſucceſſor *Hezel* bone memorie argent. Epiſcopus curiam in *Vergersheim* (t) dominicalem cum banno & villicatione ejusdem ville, & eccleſiam cum duabus partibus decimarum & ſervitio annuali parrochialis Sacerdotis, quod videlicet ſervitium in feſto S. *Michaelis* porco uno cum VIII. panibus & ſitula vini, in purificatione S. *Marie* porco uno comparatur, cum pratis, nemoribus, molendino, piſcina XII, excepta quarta parte manſus ſalice terre, manſibus tredecim cenſualibus, manſibus & dimidio, octo edificiorum areis; in *Gertzbotesheim* (u) octo agros, ſexdecim nummos annuatim perſolventes pro remedio anime ſue Eſcowienſi monaſterio delegavit, ex dono S. *Rigardis*, duo jugera vinearum in *Cuonengesheim* (x), ex dono S. *Adelheidis* novem manſuum decimas in *Egenesheim*. Ex dono *annonis* militis de *Kippenheim* (y) duos manſos in *Imelenheim* (z), in *Mittenwilere* (a) vineam perſolventem ſexdecim amones, in *ſtotesheim* (b), curtem unam & novem jugera vinearum. Sane novalium veſtrorum, que propriis manibus, aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium nullus omnino a vobis decimas, vel primitias exigere preſumat. Liceat quoque vobis feminas a Seculo fugientes liberas & abſolutas ad converſionem recipere, & in veſtro monaſterio ſine contradictione qualibet retinere. prohibemus inſuper, ut nulli ſororum veſtrarum poſt factam in loco veſtro profeſſionem fas ſit de eodem loco absque licentia abbatiſſe ſue, niſi arctioris religionis obtentu, diſcedere, diſcedemtem vero ſine commu-

munium litterarum veſtrarum cautione nemo audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clauſis januis, non pulſatis campanis, excluſis interdictis & excommunicatis, ſupreſſa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatiſſa, vel qualibet earum que tibi ſucceſſerit, nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia preponatur, niſi quam ſorores communi conſenſu, vel ſororum pars Conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem, & beati *Benedicti* regulam providerint eligendam. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra & illibata ſerventur earum, pro quarum gubernatione ac ſuſtentacione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate, & Dyoceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Secularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino Judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jheſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jheſu Chriſti*, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant,

piant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant Amen. Amen.

Ego *Alexander* Catholice Eccleſie Epiſcopus, † Ego *Hubaldus* Hoſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus, † Ego *Theotinus* Portuenſis & Sancte *Rufine* Epiſcopus, † Ego *Bernardus* Preneſtinus Epiſcopus. † Ego *Johannes* Sanctorum *Johannis* & *Pauli* preſbyter Cardinalis titulo *Pamachii.* † Ego *Gerardus* presbyter Cardinalis titulo Sancti *Stephani* in *Celio monte.* † Ego *Cynthius* presbyter Cardinalis titulo *ſancte Cecilie.* † Ego *Mathias* presbyter Cardinalis titulo Sancti *Marcelli*, † Ego *Jacintus* diaconus Cardinalis titulo Sancte *Marie* in *Coſmydin.* † Ego *Bonifacius* Sanctorum *Coſme* & *Damiani* diaconus Cardinalis. † Ego *Johannes* Sancti *Angeli* Diaconus Cardinalis. † Ego *Rainerius* Diaconus Cardinalis ſancti *Adriani.* † Ego *Mathias* ſancte *Marie* nove Diaconus Cardinalis. Datum *Tuſculani* per manum *Alberti* Sancte Romane Eccleſie presbyteri Cardinalis & Cancellarii, Idus junii, indictione XIII, Incarnationis Dominice anno M.C.LXXX, Pontificatus vero Domni *Alexandri* Pape III, anno XXI.

(a) Confer. notae ad chartam fundationis Abbatiae Aſchovienſis circ. an. 1066.

(b) *Korch.* (c) *Orſchwyhr.* (d) *Birnenheim.* (e) *Dumenheim.* (f) *Keſtenholtz.* (g) *Illkirch.* (h) *Ruffach.* (i) *Gundolsheim.* (l) *Meyenheim.* (m) *Veſſenheim.* (n) *Egisheim.* (o) *Wittenheim.* (p) *Thann.* (q) *Uffholtz.* (r) *Nambsheim.* (s) *Oberaſpach.* (b) *Bettendorff.*

(c)

(c) S. *Germain*. (d) *Kertzfelden*. (e) *Achenheim*. (f) *Schiltigheim*. (g) *Vendenheim*. (h) *Altbrunn*. (i) *Dieſſenthal*. (t) *Fegersheim*. (u) *Geispoltzheim*. (x) *Kinsheim*. (y) *Kippenheim*. (z) *Ichenheim*. (a) *Mittelweiler*. (b) *Stotzenheim*.

XXXIII.

FRIDERICUS I. IMP. CONFIRMAT JURA ET BONA ABBATIAE STIVAGIENSIS ANDLAVIENSI SUBJECTAE. M.C.LXXX.

Ex tabulario Abbatiae ſtivagienſis. (a)

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis, Ego *fridericus* divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus tam futuris, quam preſentibus. Dignitas & excellentia Romani Jmperii quanto ſuper omnes principali potentia eminet, tanto cunctos homines virtutum gloria, & maxime pietatis ac miſericordiae prerogativa erga Dei ſervos praecellere debet, quatenus ſtabilitas noſtri Imperii, quae peccatorum noſtrorum exigentia ſaepe concutitur, eorum precibus ſanctis a Communi judice corroboretur. Proinde notum ſit omnibus, quod ego *fridericus* Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, conſilio principum noſtrorum, ſuper bonis ſtivagienſis monaſterii in *Voſago* ſupra fluvium *Murtim* in honore beatae *Mariae* & ſancti *Petri* apoſtolorum principis conſtituti, ad advocatiam noſtram *Heleonis* eccleſiae (b) ſpe-

Bayerische Staatsbibliothek München

ſpecialiter pertinentis, hanc paginam privilegii, eidem, petitione Venerabilis *Warneri*, ejusdem loci abbatis, fratrumque ſuorum ſub regula beati *Auguſtini* Deo ibidem ſervientium, conſcribi juſſimus, ut ab eiſdem fratribus, quorum poſſeſſiones & predia olim injuſte ablata noſcuntur, ſaltem pauca relicta, vel poſtea acquiſita, noſtri ſcripti munimento Corroborata perhenniter ammodo retineantur. primo ſiquidem ſtatuentes, ut ordo Canonicus, qui ſecundum Deum & beati *auguſtini* régulam in eadem ſtivagienſi eccleſia inſtitutus eſt, perpetualiter ibidem obſervetur. De hinc vero quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona eadem eccleſia poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione fidelium, ſeu aliis juſtis modis poterit adipiſci, ſalva & integra perpetualiter eidem permaneant. Ex quibus aliqua ſpecialiter propriis dignum credimus, notanda vocabulis. Locum *ſtivagii*, in quo fundata eſt abbatia, quae inſtitutione *Caroli* quondam Imperatoris Romanorum, poſt deceſſum *Rechardis* ſuae conjugis, quae eundem locum in propriam poſſeſſionem tenuerat, andelacenſi monaſterio, ex Imperiali ejusdem *Caroli* beneficio, & privilegio, ordinationi quoque & diſpoſitioni ejusdem firmitate perhenni dignoſcitur ſubjacere; ita quod nulli eccleſiaſticae, vel ſeculari perſonae, ſeu alicui prorſus Eccleſiae, niſi andelacenſi monaſterio, cui praedicta abbatia ſubjecta eſt, aliquod de jure ſervitium facere debeat. Ejusdem itaque eccleſiae inveſtituram *Mathildis* quondam Andelacenſis abbatiſſa, & *Hatvidis* ſucceſſor ejus, Conſilio & aſſenſu totius capi-

tuli

tuli ſancti monialium & canonicorum ſuorum, Comitiſque *Huganis* ejusdem Eccleſiae advocati & miniſterialium, Praemonſtratenſi ordini, exiſtente abbate *Gilliberto*, & Canonicis fratribus, Deo ibidem ſervientibus, in perpetuum benigne dederunt (c) cum tertia parte banni Stivagienſis, in terris, pratis, aquis, piſcationibus, & totius banni quorumlibet animalium paſturis, cum cenſu Capitali hominum tam andelacenſis quam ſtivagienſis Eccleſiae manentium intra, vel extra bannum & cum reliquis poſſeſſionibus, quae ex diſpoſitione & ordinatione Sanctę *Richardis* ad praebendam XIII. Canonicorum ſaecularium ſpectare noſcuntur. De praefata vero ordinatione & diſpoſitione hoc ſibi tantummodo andelacenſis Eccleſia retinuit, ut abbas, qui Canonice a Saniore parte capituli fuerit electus, inveſtituram ſtivagienſis Eccleſiae de manu abbatiſſae, remota omni Calumpnia & contradictione, atque Simoniae execrabilis nota, recipiet, nec in electione, vel depoſitione aliquam poteſtatem habebit; ſed quem abbas matricis Eccleſiae illi praeſentaverit, illum abbatiſſa continuo inveſtire debebit. Quod ſi, aliqua pullulante querela, abbas ille, qui juſte fuerit electus, primo aditu inveſtituram ſuam impetrare nequiverit, ſi intra annum illum eundem abbatem inveſtire neglexerit, ex tunc in diebus ſuis abbas ille abbatiam ſuam, quamdiu ſuus ordo permiſerit, libere poſſidebit, qui abbas in feſtivitate apoſtolorum *Petri & Pauli* miſſam in Andelacenſi Eccleſia celebrare annuatim veniet, & ſi curiam Imperatoris abbatiſſam adire contigerit, abbatem in Comitatu & in ex-

penſa ſua ducere poterit, niſi illum rationabilis neceſſitas excuſaverit. Praeterea de propria poſſeſſione, quae fravoſa cauſa dicitur, a Beata *Richarde* prediſtis Canonicis ſingulariter ſunt inſtituta, & u *Carolo*-Imperatore confirmata, haec ſunt &c. &c. (*reliqua ad Alſaticam hiſtoriam non conducentia lege apud Schoepflinum, qui tamen multa omiſit.*)

Haec ergo omnia ad fravoſam cauſam Canonicorum fratrum ſpecialiter a *Karolo* Imperatore & beata *Richarde* praeter ſupra dictam tertiam partem banni ſtivagienſis a diebus antiquis ſunt ſtatuta . . . . . . Praeter haec etiam concedimus & confirmamus vobis . . . quatuor Brotia ad eccleſiam Andelacenſem ſpectantia quicquid etiam pretio comparaveritis, vel oblatione fidelium receperitis, ſicut a bonae memoriae *Mathilde* andelacenſi abbatiſſa datum eſt, cum cenſu quinque ſolidorum Argentinenſium vobis confirmamus. Confirmamus quoque vobis quindecim menſuras vini pro cenſu Eccleſiae de *Sigolsheim* (d), quindecim item alias, quas habetis pro cenſu Eccleſiae Sancti *Andreae* andelacenſis, decimam Bladi & vini totius allodii veſtri, quod habetis infra parochiam de *Sigolsheim*, quam a diebus antiquis libere tenuiſtis. Decimam quinquaginta duarum hobarum, tam vini, quam Bladi, ubicumque ſint, quae ſunt de feudo Comitis *Hugonis* de *Dasbore*. Curiam cum allodio veſtro de *Cunesheim* (e), vineam, quam dedit vobis *Hartelris*. Vineam, quam dedit *Kerardus*. Vineas, quas dedit vobis converſa veſtra *Hawidis*. Vineam, quam acquiſiviſtis

a *Conone.* Vineam quam dedit vobis *Ainrodus* de *Columbir* (f), curiam & allodium veſtrum de *Tambach*, quod dedit vobis Comes *Hugo* de *Tasborc*, allodium, quod dedit vobis *Kertrudis* de *Tambac* (g). Allodium quod dedit vobis *Volricus Groſſus* de eadem villa. Allodium quod dedit vobis *Johannes* miles de *Caſtenboltz* (h), allodium, quod dedit vobis Comitiſſa *Kertrud* (o), ſub cenſu VIII. denariorum. Libertatem metendi ac vindemiandi, quam dedit vobis eadem Comitiſſa, ea die, qua Comes meſſuerit & vindemiaverit . . . . . . vineam, quam dedit vobis *Theodoricus* Caſtellanus de *Rupe* (i) pro anima *Andelinae* uxoris ſuae, ſitam in villa *Ottenroth* (l). Allodium quod habetis apud *Rotheim* (m) . . . allodium de monſteriolo in terris, pratis, Sylvis, cum terra trium aratrorum in territorio de *Nobignez*, quam habetis ab abbatiſſa andelacenſi, ſub cenſu duorum ſolidorum metenſium . . . . precipimus etiam, ut nullus Epiſcopus, vel Rex ſeu Dux aut Comes, ſive aliquis princeps audeat eandem Eccleſiam gravare, vel ejus poſſeſſiones auferre, vel quibuslibet exactionibus fatigare. prohibemus etiam ut nullus advocatus in bonis ſeu ruſticis, vel in manſis ejusdem Eccleſiae, niſi ex conſenſu Praelati aliquid praeſumat extorquere, vel novas conſuetudines, ſeu exactiones aliquas ei inponere, nec advocatum loco ſui conſtituere liberum quoque ſit & licitum Praelatis ejusdem Eccleſiae homines ſuos peracta juſtitia in perſona noſtra principaliter regere, fideles quidem ſibique ſubjectos protegere, rebelles vero ac nocivos per juſtitiae cen-

cenſuram cohercere, fures autem, ſeu Criminatos per manus advocatorum condigna pena plectere; item ſiqui manſiclarum, ſive hominum veſtrorum, ſeu etiam quorumcunque aliorum Capitalem cenſum Eccleſiae veſtrae reddentium de rebus ad prebendam veſtram pertinentibus litigantium per pacis mediatores ſedari non valentium ad juſtitiae ſuae approbationem per Duelli conflictum examinari alterutrinque ſe expoſuerint, acceptis a Praelato veſtro utrinque ſalvis ac dignis ejusdem belli obſidibus, datis etiam pro more legitimis ſcrutinii diebus, ſtatuto tandem ab eo die, per manus advocatorum ad nutum ejus in ſtadio invicem pro expurgatione & juſtitia ſua pugnando Agonizaturi intrabunt, is vero, qui devictus fuerit, niſi ſe & ſua pro arbitrio Praelati redemerit, Corporali penae ſubjacebit. ſi autem conſilio amicorum pugillum eorundem duellum exemtum & honorifice in pace compoſitum fuerit, tam de devicto, quam de exempto duae quidem partes fructus honoris Praelato veſtro, tertia vero erit advocato. Praeterea licitum ſit vobis in cauſis veſtris fratres veſtros idoneos ad teſtificandum adducere, atque ipſum teſtimonio, ſi rectum fuerit, & propulſare violentiam & juſtitiam vendicare, paci quoque & tranquillitati veſtrae providentes, imperiali auctoritate prohibemus, ut infra clauſuram locorum, curiarumque praefatae Eccleſiae nullus violentiam vel rapinam furtum facere, ignem apponere, ſeu hominem capere vel interficere audeat. In omni denique poſſeſſione vel tenore veſtro nullus Epiſcoporum, vel Ducum,

cum, ſeu advocatorum exactiones aliquas vel pernoctationes violentas facere omnino preſumat. hanc igitur privilegii paginam, conſilio & teſtimonio principum noſtrorum, eorumque rogatu conſcribi juſſimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri precipimus. ſiquis vero, quod abſit, hoc noſtrae auctoritatis praeceptum infringere preſumpſerit, imperialis Majeſtatis offenſam temere incurrens competentem poenam ſuſtinebit, & ſexaginta marcas argenti perſolvat, quadraginta ſiquidem ſtivagienſi Eccleſiae, viginti autem archaviis Gazae noſtrae. Signum Domini *friderici* Romanorum Imperatoris auguſti invictiſſimi. Hujus teſtes ſunt *Conradus* Argentinenſis Epiſcopus, *Lodowicus* Baſilienſis Epiſcopus, ſuevorum Dux (n), *Amedus*, comes de *monte Beligardo*, *Ludowicus* comes ferretenſis, *Hadewidis* abbatiſſa andelacenſis· Ego *Gotbefridus* Cancellarius vice *Chriſtiani* Moguntini archiepiſcopi, totius Germaniae archicancellarii recognovi. Acta ſunt haec anno Dominice Incarnationis MCLXXX. Indictione XIII. regnante Domno *friderico* Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus XXVII, Imperii autem XXV. feliciter amen. Datum apud *Haguenou* V. Idus Octobris. (o)

(a) Edidit *Schöpfflinus' Alſat. Dipl. T. I. p.* 481. ſed mutilum & minime correctum.

(b) id eſt Abbatiae Andlavienſis,

(c) vid. chartas *Hadewidis* Abbatiſſae Andlavienſis ad an. 1172.

(d) Vicus *ſigolsheim* in dynaſtia Landspurgenſi ſitus.

(e) *Kinſheim.* (f) *Colmar.* (g) *Dambach.* (h) *Keſtenholtz.* (i) de *Stein.* (l) *Ottenroth.* (m) *Rosheim.*

(n) *Fridericus* ſcilicet Dux ſueviae & Alſatiae filius *Friderici* Imperatoris.

(o) Videtur eſſe *Gertrudis* Badenſis, uxor *Adelberti* comitis Dagsburgenſis.

XXXIV.

LUCIUS III. PP. *MANEGOLDO* ABBATI S. *GEORGIJ* IN NIGRA SYLVA ET EJUS ABBATIAE CURAM ET REGIMEN CELLAE MONIALIUM S. *MARCI* IN SUPERIORI MUNDATO SITAE CONCEDIT.

Datum M. C. LXXXI.

Ex autographo tabularij Abbatiae S. *Georgij* in Nigra ſylva.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Manegoldo* abbati, & Capitulo S. *Georgii* ſalutem & apoſtolicam benedictionem, juſtis petentium deſideriis dignum eſt, nos facilem praebere conſenſum, & vota, quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato conniventes aſſenſu, Cellulam ſancti *Marci* a presbytero *Semanno* fundatam, (a) & curae veſtrae ad obſervantiam regularis diſciplinae commiſſam, ſicuti eam juſte & pacifice poſſidetis, vobis & monaſterio veſtro authoritate apo-

apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, ut Sanctimoniales, quae ibi ſub veſtro regimine divinis noſcuntur officiis mancipatae, fundum loci cum pertinentiis ſuis, ſicut ad eas de jure pertinet, in pace poſſideant, & vobis pro ſpiritualis cura regiminis obedientiam & reverentiam impendant. Nulli ergo omnino hominum Liceat hanc paginam noſtrae confirmationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Anagniae* ſexto idus martii 1181.

(a) Monaſterium monialium S. *Leonardi* prope & ſupra *Pfaffenheim* in ſuperiori Mundato ſitum cum fuiſſet ſeculo XII. exuſtum, *Semannus* presbyter & rector in *Geberſwibr* fundavit pro illis aliud alio in loco monaſterium, nempe cellam S. *Marci* prope eellam S. *Sigismundi* haud procul a *Marbaco.* Cella hec foeminarum prope cellam monachorum ibidem a *Dagoberto* Rege fundatam erat poſita & dicebatur Germanice *der Meckte cell* cella puellarum. Anno 1330. corruptis monialium moribus factum eſt, ut monaſterium monialium aboleretur & bona reliqua monaſterio virorum vicino adderentur.

CHARTA
GERTRUDIS DE *GEBERSWILLER*, MONIALIS CELLAE S. *MARCI* IN SUPERIORI MUNDATO, QUA MONASTERIO SUO CALICEM QUEMDAM DONAT.

Scripta deſinente ſaeculo duodecimo.

Ex chronico manuſcripto *Berteri*, fol. 395.

Ego *Gertrudis* dicta de *Gebliswiler*, humilis & ultima ancillarum Dei apud ſanctum *Marcum* patravi meo de laboribus manuum mearum, patris & matris mee & aliorum parentum meorum & amicorum, qui mihi auxilio fuerunt, feci fieri calicem eccefie iſte ad honorem ſancti *Marci* Evangeliſte, & S. *Joannis Baptiſte* & aliorum ſanctorum in hoc loco patrocinantium tali condicione, talique forma, ut nunquam loco iſto propter aliquam neceſſitatem removeatur. ſi quis autem ipſum calicem furto, vel fraude, au violencia, vel loco pignoris removerit, & ſubtraxerit, vel aliquo modo abſtulerit, reus ſit ſanguinis & corporis Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & in locum *Judae* traditoris deputetur, expers fiat conſorcio ſanctorum *Marci* & *Baptiſte* & aliorum ſanctorum reſidenciam hic habentium & in inferno inferiori detrudatur conſervantibus vero ipſum calicem huic Eccleſie detur locus & felicitas in eterna requie, amen.

XXXV.

XXXV.

FRIDERICUS DUX ALSATIAE ET ADVOCATUS ABBATIAE HOHENBURGENSIS CONFIRMAT FUNDATIONEM MONASTERIJ TRUTENHUSANI FACTAM AB *HERRADE* ABBATISSA ET *GUNTHERO* DE *JUGENHEGE.* Dat. M. C. LXXX. I.

Ex autographo tabularij familiae nobilis de Landsberg in Nieder-Ehenheim. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego *fridericus* Dei favente clementia Eliſatie Dux, Hoenburgenſis Eccleſiae advocatus, omnibus iſta legentibus tam futuris quam preſentibus. quia katholicos principes ex divino precepto magnifica autoritate bonorum hominum bona inſtitura Laudare & corroborare decet, ideo reverenda *Herrat* (b) Dei gratia Hohenburgenſis eccleſie & nomine & merito abbatiſſa, conſilium & auxilium noſtrum prudenter quaerens, utilem inſtitutionem, quam Cauſa Dei in *Trutenhuſen* (c) inſtituit, providentie noſtre inſinuavit. Ipſa namque & *Gunter* de *Jugenhege* (d) ejusdem eccleſie miniſterialis, predium in *Trutenhuſen* a militibus & a familia eidem Eccleſie ſubjecta condigna pecunia emerunt, & in nomine Domini ſuper majus altare in *Hohenburg* perpetualiter contradentes ea intentione & conditione legaverunt, ut ad honorem Dei & Hohenburgenſis eccleſie in eodem allodio ſcilicat *Trutenhuſen* per divinam Cooperationem & devotionis ſue laborem prepoſitura regularium cano-

nonicorum inſtituatur, qui ſecundum regulam beati *Aguſtini* Canonica religione Deo famulentur. Hoc igitur bone voluntatis opus predicta abbatiſſa conſilii noſtri autoritate & communi ac devoto totius conventus conſenſu, & auxilio predicti *Guntheri* initians primum inibi eccleſiam in honore ſancte *Marie* & curtim cum ceteris edificiis conſtruit, eſtuanti deſiderio exoptans inceptum ad finem Deo auxiliante, perduci, ſcilicet ut monaſterium in honore ſancti *Nicolai* cum clauſtralibus officinis inibi fundetur; in quo duodecim canonici, vel tot quot facultas ipſius loci permiſerit, cum ydoneo ejusdem ordinis prepoſito ordinentur. Prefata itaque abbatiſſa & omnis Hoenburgenſis conventus huic pie operationi operam dantes, *volumarum* Marbacenſis Eccleſie Canonicum, venerabilem ac religioſum virum, primum prepoſitum ibi conſtituerunt, & ipſum locum cum omnibus appendiciis ſuis providentie illius eo tenore conſtituerunt, ut ipſe & omnes prepoſiti, Deo autore; inibi in poſterum ordinandi cum canonicis ſuis Hoenburgenſis Eccleſie abbatiſſis omnique conventu in miſſarum celebrationibus & in negotiis omnibus ſpiritalibus, ſive temporalibus, prout abbatiſſa & neceſſitas eccleſie expoſtulet, placita devotione obtemperet. ut ipſa autem Eccleſia in *Truttenhuſen* ad majorem divini culminis profectum polleat, prepoſito & fratribus eius inibi conſtitutis vel conſtituendis cum aſſenſu *friderici* glorioſiſſimi Romanorum Imperatoris, ſcilicet patris mei, & auctorabili *Petri* Tuſculacenſis Epiſcopi & apoſtolice ſedis legati conſilio, duas ebdomadariorum pre-

prebendas non, ſicut ſeculares ſolent ad proprietatem habendas, ſed communi utilitati diſtribuendas conceſſerunt, ſcilicet duas karradas vini, & duo talenta argentinenſium nummorum, & viginti octo maldros hyemalis frumenti & quatuordecim maldros hordei, & beneficia in inferiori *Ebenheim* (e) & in *Rodesheim* (f) ſita, ad easdem prebendas pertinentia, & decimationem ſalice terre in *Sunthuſen* (g), decimas quoque Salice terre in *Egensheim* (h) ad easdem praebendas pertinentes, & quidquid prepoſito, vel vicariis ejus ad manus oblatum fuerit in *Hoenburg*. Ad hec etiam conceſſerunt illis in *Gokkeswilre* (i) triginta duos frugiferos agros & dimidium, & duos pratorum & duos viniferos cum arbuſtis, & duos ortos & curiam. in *Burcheim* (l) vero conceſſerunt illis quatuordecim agros & inſuper unam Curiam; In *Hellgenſteine.* (m) quoque ſeptem viniferos agros. Eadem quippe Hoenburgenſis eccleſia, que ad advocatie noſtre protectionem ſpecialiter pertinet, imo ſupra dicta omnia & cetera, que prefata abbatiſſa privilegio ſuo utiliter ordinaverit, bono aſſenſu laudamus, & ut poſterorum memoriis tradantur, ſcripto confirmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione irrefragabiliter corroborare curavimus, teſtibus ſubter notatis, qui ſunt, *Heinricus* Romanorum Rex (n), *Theodoricus* Biſontinus Archi Epiſcopus, *Conradus* wormatienſis Epiſcopus, *Eberhardus* Merſeburgenſis Epiſcopus, *Bertholdus* conſtantienſis Epiſcopus, *Heinricus* Baſilienſis epiſcopus *Heinricus* Argentinenſis Epiſcopus, *fridericus* Dux ſuevorum (o), *Hermannus*

Mar hi

Marchio Veronenſis (p) *Bertholdus* comes de *Nuenburg*, *Egelolphus* de *Urſelingen*, *Wernerus* Mareſcaldus Argentinenſis, *Rudolphus* de *Andela*. Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini MCLXXXI, indictione XIIII, XIIII. Kalendas Maji.

(a) Confer. *Schöpflinus Alſat. Dipl. Tom. I. p. 275.* & *Obrecht in prodr. Rer. Alſat. pag. 228.* ubi fragmentum chartae cum ſigillo aeri inciſo.

(b) *Herradis* ex illuſtri familia de *Landsberg*.

(c) *Truttenhuſen* Praepoſitura Canonicorum Regul: ſita in colle ad pedes montis *Odiliani* ſemileuca ab *Ober Ehenheim* & quadrante a *Bernhardsweiler* diſtans. Hodiedum in ruinis jacet; remanſit unica domus & capella *B. M. V.* & S. *Nicolai*. Monaſterij everſi bona devenerunt ad familiam Landsbergenſem, quae illa anno 1747. Capitulo Majori Argentinenſi vendidit.

(d) Patet hinc error *Wimphelingij de Epiſc. Argent. pag. 54.* & aliorum, qui dicunt *Guntherum* de *Landsperg* fratrem *Herradis* Abbatiſſae hujus in fundatione fuiſſe ſocium.

(e) *Niederehenheim* feodum Eccleſiae Argentinenſis D. de *Landsberg* conceſſum.

(f) *Rosheim*.

(g) *Sundhauſen* feodum Wirtembergicum D. de *Wurmſer* conceſſum.

(h) *Egisheim*.

(i) *Gocksweiler* eſt civitatis Argentinenſis.

(l) *Burgheim* ſemileuca a *Gocksweiler* diſtans ad eandem ſpectat civitatem.

(m) *Heiligenſtein* prope *Barr* ejusdem civitatis eſt.

(n) *Henricus* ſc. *VI*, frater natu major ipſius Ducis *Friderici*.

(o) *Fridericus* Dux Suevorum idem eſt, qui dedit hanc chartam & qui ab initio ejusdem ſe vocavit Eliſatiae Ducem.

(p)

(p) *Hermannus* hic Veronenſis fuit *Hermannus IV.* Marchio Badenſis, qui ſicut pater Marchiam *Veronae* poſſedit,

XXXVI.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS ABBATI ET MONACHIS IN *BAUMGARTEN* DONATIONEM A *WALFRIDO* DE *BISCHOFFSHEIM* FACTAM CONFIRMAT.

Dat. an M. C. LXXX. I.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis. (a)

In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti, *Henricus* Dei gratia Argentinenſis Epiſcopus, & clerus Eccleſiae majoris ejusdem civitatis, univerſis fidelibus in perpetuum.

Quoniam tempora periculoſa ſupervenerunt, in quibus conantur filii patrum decreta convellere, & eleemoſinas eccleſiis Dei juſte donatas injuſte retrahere, & illicite poſſidere contendunt, iccirco ratio poſtulat, ut ſpeculatores Domus Iſrael ex adverſo ſtantes patrimonium crucifixi tota autoritate defendere ſtudeant atque tueri. Nunc igitur omnis generatio rectorum memoriter teneat, quod de ſacro germine ſancte matris Eccleſie proceſſerunt viri virtutis, qui pro *Chriſto* ſua omnia ſeque dedentes, vitam apoſtolicam populo Dei in ſua converſatione repreſentant qui videlicet ſacrum Ciſtercien-

cienſem ordinem in ſuo ſanguine plantaverunt, ſuo ſudore plantatum rigare non ceſſarunt, quem nos cernimus tantis benedictionibus multiplicatum, ut ipſum patri Spirituum Spirituales fructus indeſinenter offere credamus. Hujus ordinis Sacri religioſi fratres authoritate Sanctorum patrum miſſi venerunt olim manſionem ſue religioni congruam noſtris in partibus avidius perquirentes, quos bone memorie predeceſſor noſter hujus ſancte ſedis Epiſcopus *Burchardus* cum ſumma devotione ſuſcepit (b), miſericordia motus ſuper eos, eo quod eſſent homines alterius nationis & ignote lingue, qui in locis Silveſtribus conſtanter laborarent ut efficerentur cives ſanctorum, & domeſtici Dei. Hos ego ſuſceptos idem Pontifex in fundo beati virginis *Marie*, in loco, qui dicitur *Bongart*, benigniſſime collocavit, quem ſervi Dei Locum tunc horroris & vaſte ſolitudinis cum multa gratiarum actione ſuſcipientes, humanis uſibus idoneum & habitalem in brevi reddiderunt quoniam ſpinis & vepribus extirpatis, ſecundum ſui ordinis inſtituta religioſas officinas erexerunt, totis viribus tendentes ad hoc, quatinus ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequenter ſonabat in auribus hominum, ibi deinceps in pſalmis, hymnis & Canticis Spiritualibus crebrius reſonaret melodia Celeſtis in auribus angelorum, cumque pauperes chriſti duro ſimul ac diurno martirio laborarent, dum eſſent pauci numero, eo quod in illis & auſteritatem vite & rei familiaris inopiam & profeſſionis rigorem plurimum abhorrerent homines deliciis aſſueti, tadem ſervorum Dei pacientia

tia ſuperans corda diu contrita de profundo merore levavit, quoniam cum illis ad ſervicium Dei turba confluere, & circum manentes de ſuis prediis Domui Dei paulatim offerre ceperunt, inter quos Ceteris ferventior unus *Walfridus* de *Biſſopsbeym* (c) fidei ac devotionis fervore ſuccenſus, qui cum de ſuo corpore non haberet heredem, ſemet ipſum penitus exheredavit in terris, ut *Chriſti* coheres eſſe meretur in coelis. dedit igitur praefato Cenobio in *Biſſopsheim* curias quinque cum pertinentiis ſuis, & cellarium unum, & in territorio ejusdem ville, que dicitur *Cregsbeym* (d), de terris arabilibus agros circiter ſeptuaginta; & prati agrum & dimidium; de vineis agros viginti novem; apud *Berſam* (e) curias duas cum appendiciis ſuis; apud *Engresbeym* (f), curias quatuor & molendinum, & agros triginta duos, & duos agros prati, apud *Gaezbotzheym* (g), curias tres & cellarium & agros circiter viginti quinque & prata quatuor; apud *Andelau* (h) decem agros vinearum, quos manu tenendos ſuſceperunt *fridericus* plebanus S. *Fabiani*, *Arkenboldus* ſcultetus, *Argotbus*, *Gerardus*; *fridericus*, apud *Valvam* (i), ſeptem agros prati; apud *Celenwilre* (l), agros quatuor; apud *Kercenvelt* (m), agros quatuor. Hec ſunt Dona, que predictus *Walfridus* predicte contulit Eccleſie, ſecundum legitimam conſuetudinem terre, per manus ſcilicet amicorum, qui ſibi erant & cognatione propinqui, & conditione coequales, ut ipſi beneficium hoc & ſuo teſtimonio roborarent, & ſua tuitione manuterent eccleſie, & inde eſt, quod ipſi ſuſcepti ſunt familiares & fratres

 con-

conſcripti in eadem Eccleſia, ut ſint orationum participes, & beneficiorum omnium a modo & in reliquum. Horum autem nomina ſunt hec: *Burchardus* de *Biſſopsheym*, *Theodoricus* pincerna, *Walfridus* & filius ſuus *Walfridus*, *Hartemothus* ſcultetus *Theodericus* & frater ejus *Warinus*, *Adelbertus* de *Heyneheym* (n), *Ottho* & frater ejus *Egololfus*, *Warnherus* de *Virdenheym* (o), *Cono* de *Biſſopsheim*, *Ulricus* filius *Walfridi*, *Bertolfus* filius *Burchardi*, *Warnherus* filius *Adelberti*, *Warnerius* filius *Warnheri*. His autem ſolempniter datis, *Walfridus* ipſe valefaciens ſeculo & ſollicitudinibus ejus, & converſus in *Bongart* inter pauperes Chriſti factus eſt unus ex ipſis. Placuit igitur fratribus & Canonicis noſtris de Capitulo ſancte *Marie* beneficium hoc ſuo ſigillo confirmare in teſtimonium, quoniam vere dignum & juſtum eſt, ut illa mater Eccleſia, de qua per latitudinem epiſcopatus fons & origo totius Chriſtianitatis emanat, filiabus ſuis Eccleſiis diligendis ac manutenendis invigilet ne ſit ſine affectione, ſi diligere deſierit, & absque federe fiat. Si manutenere neglexerit. Nos autem prefatas donationes ſub protectione pontificali ſuſcipientes confirmamus, & predictum locum de *Bongart* in honorem glorioſe virginis *Marie* conſecratum, eccleſiaſtica libertate donamus, & irrefragabili ſanctione conſtituimus, ut nulli hominum liceat infra ambitum abbatie, vel dedicati Cimiterii, nec infra clauſuram abbatie vel curiarum ejus rapere predam, hominem capere, ſpoliare, verberare, vel occidere, nec aliquid de ſubſtantia domus furtim vel violenter auferre, ſed omnia per-

perpetua libertate, ſicut atria eccleſiaſtica, conſerventur illeſa. Si quis igitur hoc noſtre confirmationis decretum temeraria preſumptione violaverit, ipſum a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri *Iheſu Chriſti*, & a ſancte matris Eccleſie membris ſegregamus, & excommunicamus & ſicut extinguitur lucerna de manibus noſtris projecta, ſic in die Judicii lucerna ejus cadat extincta, ne poſſit videre gloriam Dei, ſed cum reprobis projiciatur in tenebris exteriores, niſi congrua ſatisfactione veniam conſequatur & gratiam. fiat, fiat, amen. Actum legitime, publice recitatum, Canonice confirmatum in Capitulo glorioſe virginis *Marie*, indictione decima quarta incarnationis Dominice anno M.CLXXXI. (p)

(a) Ediderunt ſed corrupte *Auctores Galliae Chriſtianae T. V. inſtrum. p. 489.* Confer. *Schöpflin. Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 288.*

(b) Confer. charta *Burchardi* Ep. Argent. ſupra 1153.

(c) *Biſchofsheim* ſive *Biſchen* vicus pertinens ad Epiſcopum Argentinenſem. Familia nobilis de *Biſchofsheim* ineunte ſeculo XV. expiravia.

(d) *Griesheim* prope *Biſchoffsheim* eſt ejusdem Epiſcopi.

(e) *Berſch.* (f) *Ergersheim.* (g) *Geboltzheim.* (h) *Andlau.* (i) *Valff.* (l) *Zellenweiler.* (m) *Kertzfeld.* (n) *Hoenheim.* (o) *Firdenheim.*

(p) Cartam hanc ad an. 1187. referunt *Galliae Chriſtianae editores* & *Schöpflinus* l. c. ſed aera ejus eſt anterior, cum jam memoretur in bulla *Lucij III.* PP. an. 1182. Confirmantis *eleemoſinam Walfredi de biſſofeyeim, ſicut eam per manum Argentinenſis Epiſcopi Eccleſie Baumgartenſi contulit.*

 XXXVII.

XXXVII.

CHARTA SYNODALIS *HENRICI* ARGENTINENSIS EPISCOPI DE DISCORDIA ORTA INTER *WERNHERUM* MAURIMONASTERIJ ET *HENRICUM* MEDIANI MONASTERIJ ABBATES. Dat. M. C. LXXX. I.

Ex autographo tabularij Abbatiae Maurimónaſterienſis. (a)

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis Patris & filii, & Spiritur ſancti, Ego *Heinricus* Dei gratia argentinenſium Epiſcopus notum facio tam praeſentibus, quam futuris, concordiae & tranquilitatis tenorem, inter dilectos abbates *Wernberum Maurimonaſterii*, *) ſoepius enim pervenit ad audientiam noſtram quaerimonia jam dicti abbatis *mediani monaſterii*, quod poſſeſſiones Eccleſiae vicinas cellulae ſancti *quirini*, abbas *maurimonaſterii* violentia quadam & praeter formam juris ſibi uſurpaſſet. ad deponendum igitur inter religioſos & ſpirituales homines hujuscemodi litem, convocavi familiarius abbatem *mauri monaſterii*, notificans ſibi quaerimoniam predicti abbatis *mediani monaſterii*, qui ſatis rationabili utens reſponſione affirmabat, hanc poſſeſſionem recta & manifeſta donatione *Reinbardum* abbatem anteceſſorem ſuum a *Milone* abbate *mediani monaſterii* pro LXX. ſolidis metenſis monetae haereditario jure ſuſcepiſſe, ſingulisque annis duos denarios cenſuales ſtatuto tempore in curia *Irgeſingen* hucuſque perſolviſſe, factum

*) *Omiſſ. & Henricum Mediani monaſterij.*

factum Cyrographum inter eos permonſtrans (b), ſub communi conſilio fratrum & totius familiae, haec omnia facta, quieta poſſeſſione per LX. annos & amplius ſediſſe, ſynodalique decreto hanc poſſeſſionem ſecundum tenorem juſtitiae teſtificando velle retinere. Igitur convenientibus utriusque perſonis in ſanctam ſynodum, cum utriusque cauſa ventilata eſſet, ſynodali judicio decretum eſt, ut abbas *mauri monaſterii*, ſi poſſet teſtibus idoneis legitime comprobare, eo tenore ſuſcepiſſe, & per tam longa tempora quieta poſſeſſione ſediſſe, deinceps ſine pulſatione & querimonia frueretur pacifice. Praedictus igitur abbas *Mauri monaſterii* cum religioſis clericis & Laicis procedens ſuam comprobando juſtitiam, tam abbati *mediani monaſterii*, quam omnibus coram aſtantibus ſatis fecit, ſuntque coram omnibus concordati & pacificati. Et ut haec ſint rata & inconvulſa, & deinceps ex utraque parte ſine querela permaneant, ſigilli noſtri impreſſione, & teſtium infraſcriptione corroborare dignum duximus. Hujus rei teſtes ſunt &c. Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MC LXXXI, Indictione XIV, *alexandro* papante, *friderico* Romanorum Imperatore feliciter regnante. (c)

(a) vid. *Belhomme* in hiſtoria *mediani monaſterij part. 6. pag. 307.*

(b) Extat Superius charta *Reinhardi* abbatis Maurimonaſterienſis an. 1122. conſcripta.

(c) In hac charta pendet ſigillum cum imagine Abbatis caſula induti baculum & librum tenetis cum hac inſcriptione: *Wernerus Abbas Mauri monaſterij.*

 XXXVIII.

XXXVIII.

LUCIUS III. PP. *GARNERO* STIVAGIENSI ABBATI CONFIRMAT TRADITIONEM LOCI S. *GORGONIJ* STIVAGIENSIBUS FACTAM. Dat. M.C.LXXX.II.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis, Tabernis Alſaticis. (a)

L*ucius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilectis filiis *Garnero* abbati ſancti *Petri* ſtivagienſis ejusque fratribus tam praeſentibus, quam futuris. Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Juſtitiae ratio exigit & ſedis apoſtolicae benignitas expoſcit, ut perſonis & locis Deo & beato *Petro* ſub regulari diſciplina ad ſerviendum deputatis tuitionis noſtrae manu habundantius & propenſius extendamus, & ſua eis jura atque collata beneficia paterna benignitate protegendo conſervemus. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, ac ea quae veſtrae Eccleſiae ab Eccleſia Hohemburgenſi per manum dilectae filiae noſtrae *Herradis* ejus loci abbatiſſae, aſſenſu totius Capituli ſui, vobis perpetualiter data, ſcriptaque rite confirmata ſunt, Laudamus & praeſentis ſcripti privilegio communimus & confirmamus; locum videlicet ſancti *Gorgonii* cum omnibus rebus ad eundem locum ſpectantibus, & prebendam ebdomadarii, carratam ſcilicet vini, quatuordecim maldros frumenti, & ſeptem ordei, & viginti ſolidos argentinenſis monetae, ac quicquid eidem ebdomadario alijsque ſacerdotibus veſtris, cum in Hohen-

Hohenburgenſi publicas, vel privatas miſſas celebraverint Eccleſia, oblatum fuerit ad manus. Beneficium altaris S. *Odiliae* in *Ergersheim* conſtitutum ſeptemdecim quartalia bladi, in *Wolganſeheim* carratam vini, Pratum & ſylvam ad ſanctum *Naborem* ſitam, & ſeptemdecim jornalia terrae in *Talheim* & quorumlibet animalium paſcendi licentiam in Hohemburgenſibus paſcuis, ita videlicet, quod defuncto abbate veſtro, vel mutato, ſucceſſor ejus de manu Hohemburgenſis abbatiſſae praedicta beneficia ſine ulla contradictione per librum recipiat, & in eadem Eccleſia ſui ordinis ſacerdotes, & in praefato loco ſancti *Gorgonii* tam clericos, quam Laycos fratres ad ſerviendum Deo conſtituet, & quotienscunque abbas veſter voluerit, Hohenburgenſem Eccleſiam viſitet, & in feſto ſanctae *Odiliae*, & in dedicatione capellae ejus, & in nativitate ſanctae *Mariae* ad eandem Eccleſiam miſſam ſolempnem celebraturus, niſi infirmitate, vel aliquo evidenti negotio fuerit detentus annuatim veniat, vel aliquam ydoneam perſonam, ſi venire requiverit, mittat, ebdomadarium quoque ſacerdotem in Hohemburgenſi eccleſia & alium, qui quottidie privatam miſſam ad altare ſanctae *Odiliae* celebret, provida diſpenſatione conſtituat. quoscumque de canonicis ſuis ad hoc ydoneos cognoverit, quos quidem ſine contradictione abbatiſſae removendi, & loco ipſorum alios conſtituendi praedictus abbas plenam habeat facultatem, cui etiam licitum ſit bona tam ſpiritualia, quam temporalia ad locum ſancti *Gorgonii* ſpectantia caritative, prout Deus inſpiraverit, diſpen-

diſpenſare. ſtatutum eſt etiam ut quotienſcunque fratres, vel ſorores ab hac luce migraverint, a conventu utriusque eccleſiae ſollemniter in miſſis & caeteris obſequiis plenarium ſervitium peragatur. Cum autem abbatiſſa Hohemburgenſis morti appropinguare contigerit, abbas ſtivagienſis vocatus a fratribus ſancti *Gorgonii* feſtinus accedens, ſi expeditus fuerit, exequias pro ea in conventu ſolempniter celebrabit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc noſtrae paginam protectionis & confirmationis infringere, aut pervertere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis vero hoc attemtare, praeſumſerit niſi reatum ſuum condigna ſatisfactione correxerit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus incurrat, & in extremo examine divinae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem haec pie obſervantibus, ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti.* quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant, amen. † Ego *Lucius* catholicae Eccleſiae Epiſcopus. † ego *Teodinus* portuenſis, & S. *Rufinae* ſedis Epiſcopus. † Ego *Paulus* Preneſtinus Epiſcopus. † Ego *Petrus* Presbyter cardinalis tit. ſancti *Stephani* in *Coelio monte.* † Ego *Hugo* presbyter cardinalis tit. ſancti *clementis.* † Ego *Cinthius* presbyter cardinalis tit. ſanctae *Coeciliae.* † Ego *Matheus* presbyter Cardinalis tit. ſancti *Marcelli.* † Ego *Laborantius* presbyter Cardin. ſanctae *Mariae trans Tyberim* tit. ſancti *Calixti.* † Ego *Hyacinthus* Diaconus Cardinalis ſanctae *Mariae* in *Coſſmidyn.* Ego *Raynerius* ſancti

Georgii

Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis. Datum *Laterani* per manum *Alberti* S. R. E. preſbyteri Cardinalis & Cancellarii XI. Kalendas Februarii, indictione XV, incarnationis Dominicae anno MCLXXXII. Pontificatus vero Domini *Lucii* Papae III. anno I.

(a) Ediderunt *Peltre* vie de Ste *Odile* inter documenta pag. 6. & *Hugo* bis in *Annalibus ord. Praemonſtr. Tom. 2. probat. pag. 251 & 554.* ſed cum mendis.

XXXIX.

LUCIUS III. PP. STATUTA *BURCARDI* EPISCOPI ARGENTINENSIS DE JURIBUS PRAEPOSITI HASELACENSIS ET CANONICORUM IBIDEM CONFIRMAT.

Dat. M. C. LXXXII.

Ex vidimus judicis Curiae Argentinenſis an. 1443. in tabulario Collegiatae Haſelacenſis. (a)

L*ucius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis canonicis ſancti *florencii* Haſelacenſis tam preſentibus quam futuris legitime ſubſtituendis in perpetuam memoriam. Ea que ſunt pro Dei cultu rationabiliter de prelatorum auctoritate ſtatuta, in ſua debent ſtabilitate conſiſtere, & ne poſſint malignitate quorumlibet a ſuo ſtatu divelli apoſtolico patrocinio communiri. Hinc eſt, quod cum pro diſtributione prebendarum eccleſie veſtre frequens inter vos ſcandalum oriretur,

 beate

beate memorie *B.* (b) quondam argentinenſis Epiſcopus, prout ex ejus ſcripto comparet, de ſcandalo ſedando ſollicitus, communicato fratrum ſuorum conſilio ita demum cum auxilio gracie celeſtis effecit, quod omni ſciſſura depoſita que debeatur habere vobis expreſſum prout deputata. Sane *B.* (c) quondam prepoſitus veſter decimas ad Eccleſiam veſtram pertinentes vobis, memorato Epiſcopo ſuadente, conceſſit videlicet de *Hoſthoven* (d) de *Hernoldesheim* (e) decimas vini duntaxat, & poſt obitum ejus decimas frumenti & aliorum & decimas inſuper de *Hurmaten* (f) in *Bruſſetal* (g), idem vero Epiſcopus, dum prepoſituram Eccleſie veſtre in ipſa manu teneret, decimas de *Sulcen* (e) & ſex agros vineti *Buytenheim* (f), & tres in *Weſthoven* (g), eo tenore conceſſit, ut nulli unicuique prepoſito, qui aliquando veſtre preeſſet eccleſie, vobis ea ſubtrahendi pateret facultas. Inſuper etiam predictus *B.* prepoſitus molendinum quoddam quod proprietario jure tenebat, cum adjacenti predio in villa *Tunguneſin* (h) eidem eccleſie pia devocione conceſſit, ita tamen, ut dum viveret, eis libere frueretur, & decedente ad eccleſiam veſtram ſine qualibet contradictione rediret, & vos in ejus anniverſario de preſcripto molendino deberetis quatuor quartalia frumenti pauperibus erogare. Preterea *B.* de *Cunze* predium quoddam in preſcripta villa pro ſua vobis ſalute legavit, eo quidem tenore, ut *C.* filius ejus concanonicus veſter iſtud predium in ſua vita poſſideat, & in aniverſario patris duodecim panes clauſtrales & ſitulam vini & duodecim dena-

denarios pauperibus largiatur, &, eo decedente, jam dicta Eccleſia in ipſo predio ei, nullo contradicente, ſuccedat. hec autem omnia, prout ea rationabiliter poſſidetis, vobis & Eccleſiae veſtrae auctoritate apoſtolica confirmamus. Ad hec cum de cooperienda Eccleſia veſtra & de aliis queſtio ſuborta fuiſſet, recognitum eſt coram epiſcopo ſupradicto, prout ejus ſcriptum continet, quod praepoſitus dimidiam, & Epiſcopus aliam partem Eccleſie debeant reparare, quotiens in aliquo reparacione egebit. Inſuper eciam prepoſitus officinis fratrum videlicet clauſtro per totum, dormimitorio, refectorio, Piſtrino, cellario, mollendino ne aliqua negligentia defectum procuret, ſollicite precavebit, & ſi etiam aliqua a ſuo ſtatu ceciderint, ea de proprio reſtaurabit, defectuique rei familiaris & divinorum obſequiorum cum omni diligentia providebit. Et ſi in aliquo ex ipſius negligencia vel incuria ſuper hiis eccleſia veſtra ſenſerit detrimentum, idem prepoſitus illata dampna tenebitur reſarcire. Cellarium etiam fratrum cum omni diligentia procurabit, quo eorum prebendas, videlicet frumentum & vinum ipſius cuſtodie deputatum uſibus fratrum fideliter reſerantur, ne aliquo caſu perdantur. Si vero deperdita fuerint omnia reſtaurabit, nec ſine communi electione fratrum ad recipiendum aliquem in Canonicum poteſtatem habebit; Decanum quoque, magiſtrum ſcolarum, Cuſtodem, portenarium, cellerarium non niſi ad electionem fratrum conſtituet; nec etiam ad piſtorem conſtituendum, niſi electio fratrum accedat, manus extendet; vaſa quo-

quoque vinaria quotquot fratrum fuerint, uſibus neceſſaria, ex proprio miniſtrabit, & hiis tabe aut vetuſtate conſumptis, alia nova tenebitur exhibere. Nullam autem curiarum, quarum donatio ei de jure prepoſiture competit, ſine fratrum electione locabit. Beneficium autem aliquod clauſtrale cum vacaverit, nulli jure ſucceſſorio conferatur. Prepoſitus autem illi canonico, qui ab eo proximum locum obtinet, illud concedere non denegabit, ſi tamen id ab ipſo devocionis ſtudio fuerit poſtulatum. Si vero beneficium illud poſtulare noluerit, prepoſitus ipſum conferendi, cui eccleſie veſtre canonico maluerit facultatem habebit, ſingulorum tamen facultate conſiderata, nec ſi unum ditare intendat, ut aliis occaſionem ſcandali preſtare videatur. Prepoſitus inſuper prebendas fratrum recipere debebit de curia videlicet *Kircheim* (i), de qua ſingulis annis centum triginta quartalia frumenti ad menſuram Eccleſiarum argentinenſis civitatis, & quinque carratas vini, vobis debet exſolvere, preter decem quartalia frumenti que debet Decano, & preter quinque quartalia, que prebende elemoſinarie dare tenetur. denarios quoque fratrum veſtibus deputatos prepoſitus miniſtrabit, & ita ne fratres in officiorum divinorum poſſint celebratione tepere. Calefactoriam etiam a feſto B. *Martini* uſque ad *cenam Domini* diebus ſingulis ad uſum fratrum per miniſtrum ſuum faciet califieri, & fenum prati de *Urmatten* in ipſorum fratrum utilitatem etiam propriis expenſis ſecari. Ne ergo contra id quod ſtatutum eſt prepoſitus quidquid vobis ſubtrahere valeat,

valeat, aut vos ab eo debeatis requirere, quod ipſe vobis ſolvere nec dare teneatur, hec que prediximus, prout ſunt de veſtri Epiſcopi auctoritate ſtatuta & in eccleſia veſtra ſervanda, futuris temporibus precipimus integra permanere. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum fas ſit, prefatam eccleſiam temere conturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablata retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus pertubare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentacione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate, & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. ſi qua ergo in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre confirmationis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jehſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Dom. noſtri *J. C.* quatenus & hic fructum bone actionis recipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant, amen.

Ego *Lucius* catholice eccleſie epiſcopus. Ego *Petrus* tit. S. *Suſanne* presbyter Cardinalis. Ego *Vimarus* tit. S. *Stephani* in *Celio monte* presb. Card. ego *Cynthurius* presb. Card. tit. S. *Cecilie*, Ego *Arduinus*

duinus presb. Card. tit. S. *Crucis* in *jeruſalem*. Ego *Matheus* presb. Card. tit. S. *Marcelli* ego *laborans* presb. Card. ſancte *Marie* trans tyberim. tit. *Calixti*. Ego *Jacintus* diaconus Card. S. *Marie* in *Coſmidin*. ego *ardicio* ſancti *Theodori* diac. Card. ego *Raynerus* dyaconus Card. S. *Georgii* ad *velum aureum*. Ego *gratianus* ſanctorum *Coſme* & *Damiani* diac. Card. ego *Chonradus* Epiſcopus ſalspurgenſis Ecclesie miniſter. ego *Theodvinus* Portuenſis & S. *Rufine* ſedis Epiſcopus. Ego *Petrus* tuſculanenſis Epiſcopus. Ego *Paulus* Preneſtinus Epiſc. Datum *Velletri* per manum *Alberti* S. *Romanae* Ecclesie presb. Card. & Cancellarii VII. Idus Maij, indictione XV, incarnat. Dom. anno MCLXXXII, pontificatus vero Domni *Lucii* pape tertii anno primo.

(a) Vidimatae huic bullae transfixa eſt charta officialis curiae Baſileenſis an. 1457. quo teſtatur *Henricum* de *Heinsberg* patrem *Wilhelmi* de *Heinſperg* Praepoſiti Haſelacenſis eodem anno defuncti inveniſſe in filij ſui ſucceſſione plures bullas apoſtolicas & litteras alias bullis plumbeis & ſigillis cereis bullatas & ſigillatas, quae ad Haſelacenſem ſpectabant collegiatam, quas ille ex mera ſimpliciate tum laceravit tum cuidam monacho Carthuſienſi *Baſileae* ad libros ligandos donavit.

(b) *Burcardus* Epiſcopus Argentinenſis.

(c) *Bruno* Haſelacenſis Praepoſitus in chartis annorum 1159. & 1162. memoratus.

(d) *Oſthoven*, ubi decimis & jure patronatus fruitur Collegiata Haſelacenſis.

(e) *Ernolsheim* eſt Epiſcopi Argentinenſis, ubi Capitulum Haſelacenſe decimis & ejusdem praepoſitus jure patronatus fruitur.

(f)

(f) *Urmat* ab *Haſelaco* ſemileuca diſtans pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem ubi decimas habet Capitulum Haſelacenſe.

(g) id eſt: in valle *Bruſcae.*

(e) *Sultz* Epiſcopi Argentinenſis eſt, in quo dimidia decimarum vini parte gaudet Collegiata Haſelacenſis, jure vero patronatus ejusdem Eccleſiae praepoſitus.

(f) Hodie *bergbietenheim* ad eundem pertinens Epiſcopum.

(g) *Weſthofen* ſpectat ad Darmſtadienſem.

(h) *Dingsheim.*

(i) *Kircheim* ad civitatem Argentinenſem pertinet; ibidem decimas & jus patronatus habet Collegiata Haſelacenſis.

XL.

HENRICI EPISCOPI ARGENTINENSIS CHARTA, QUA ABBATIAE ETTENHEIMENSI INCORPORAT REDDITUS ECCLESIAE PAROCHIALIS IN *SCHWEIGHAUSEN.* Data XV. Martij M. C. LXXXIII.

Ex autographo Tabularij Ettenheimenſis monaſteſterij.

H. Dei gratia Arg. Eccl. Epiſc. univerſis & ſingulis preſentium inſpectoribus ſalutem in vero ſalutari; Sciant quos ſcire opportunum fuerit, quod compatientes inopiae Coenobii de *Ettenheim* & attendentes hoſpitalitatem, quam tranſeuntibus exibent, Abbati fratribus ſuis indul-

dulſſimus, quatenus fructus eccleſie de *Sweigkbuſen*, in quo habent jus patronatus, ad uberiorem ſuſtentationem ibidem domino famulantium in communes & proprios uſus redigant. itaque abbas praenominati Cenobii a nobis & ſucceſſoribus noſtris curam animarum recipiat & praedictae Eccleſiae tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus provideat, ſalvo in omnibus jure dioeceſano: Datum in praedicto Cenobio *Ettenheim*, Idus Martii, anno incarnationis Domini milleſimo Centeſimo octogeſimo tertio.

XLI.

LUCIUS III. PP. COLLEGIATAE LUTENBACENSIS BONA ET PRIVILEGIA CONFIRMAT. Data XXVII. Septembris M.C. LXXXIII.

Ex vidimus Decani & Capituli Eccleſiae Argentinenſis an. 1280. In tabulario Eccleſiae Collegiatae Lutenbacenſis.

L*ucius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Decano & Canonicis *Lutenbacenſibus* ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſiderij dignum eſt, nos facilem prebete conſenſum, & vota que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere, ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus annuentes, confirmamus vobis locum qui dicitur *Lutenbach* (a) cum omnibus appendiciis ſuis,

ſuis, ſylvis, pratis, agris & vineis, curtem de *Sultzemate* (b) cum omnibus, que ad eam pertinent, ſylvis, agris pratis & vineis; eccleſiam ejusdem ville cum omni dote & decimis, preter partem que eſt aſſignata Plebano, ſcilicet quatuor homarum in vino & quartam partem in Ceteris; Curtem quoque in villa *Gundelsheim* (c) ſitam, cum omnibus ad eam pertinentibus, & Eccleſiam cum dote & decimis, quarta excepta que eſt plebani. Item in villa *Ungersheim* (d) curtem unam cum jure ſuo univerſo & eccleſiam cum dote & decimis, excepta quarta plebani. jus medium patronatus Eccleſie de *Ruolesheim* (e) cum decimis decem manſorum. In *Witolsheim* (f) jus patronatus Eccleſie cum quarta parte decimarum. In villa *Helferaſtkilch* (g), jus patronatus Eccleſie cum prediis quibusdam Cenſualibus circa triginta ſolidos. In villa *Faſeneim* (h) curtem unam cum omnibus appendiciis. In villa *Herrenheim* (i) curtem unam cum omni jure ſuo, in villa *Egesheim* (l) curtem unam cum omni jure ſuo. Confirmamus etiam vobis & ratum eſſe decernimus, quod Epiſcopus Baſileenſis in omnibus Eccleſiis veſtris non niſi triginta ſolidos ſingulis annis, vel ſex libras in quarto pro redemptione accipit, excepta Eccleſia de *Ruolesheim*, ubi quartam accipere conſueuit. Preterea praedia & poſſeſſiones quas *Johannes* de *Sultza*, *Henricus*, *Artungus*, *Algotus* quondam ejusdem eccleſie canonici Eccleſie ipſi rationabiliter contulerunt, ſicut ea juſte & pacifice poſſidetis, authoritate vobis apoſtolica confirmamus & preſentes ſcripti patrocinio communimus. Electionem quo-

que prepoſiti, Decani & Canonicorum, ſicut hactenus habuiſtis, liberam vos de cetero habere ſancimus, & ne quis eam temere impedire preſumat, authoritate apoſtolica prohibemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & prohibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Rome* V. kalendas octobris, Pontificatus noſtri anno tercio. Anno Chriſti M. C. LXXXIII.

(a) *Lutenbacenſis* Collegiata, licet ſita ſit in Dioeceſi Baſileenſi & in ſuperioris Alſatiae extremitate, pendet tamen a jurisdictione Eccleſiaſtica Epiſcopi Argentinenſis. Vicus *Lutenbach* ad dictam Collegiatam pertinet, quae ibidem habet decimas & jus patronatus.

(b) *Sultzmatt* vicus ſuperioris Mundati pertinens ad Epiſcopum Argentinenſem. jure patronatus & duobus decimarum vini trientibus ibidem gaudet Collegiata Lutenbacenſis.

(c) *Gundelsheim* vicus quoque ſuperioris Mundati, in quo decimas & jus patronatus habet dicta Collegiata.

(d) *Ungersheim* vicus cujus partes duae ſpectant ad dynaſtiam Bollvillanam & tertia pars ad civitatem Enſisheimenſem. Decimas ibidem cum jure patronatus poſſidet Collegiata Lutenbacenſis.

(e) *Rulesheim* prope *Enſishemium*, in quo jus patronatus exercet ſoepefata Collegiata.

(f) *Witolsheim* in Thannenſi diſtrictu ſitus ad Hagenbachios pertinens, in quo etiam jus patronatus habet Capitulum Lutenbacenſe.

(g)

(g) *Helfrantzkirch* vicus dynaſtiae Landſerianae.

(h) *Pfaffenheim* vicus Mundati ſuperioris.

(i) Duo extant *Enſisheimium* inter & *Colmariam* vici *Ober-heringheim* & *Niderheringheim.*

(l) *Egisheim.*

XLII.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS DE FUNDATIONE RUBEACENSIS SANCTI *VALENTINI* PRIORATUS. Data anno M. C. LXXXIII.

Ex autographo Tabularij Epiſcopatus Tabernis Alſaticis. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Henricus* divina favente clementia Argentinenſis Epiſcopus omnibus, ad quos iſta pagina pervenerit, eternam in *chriſto* ſalutem. Dubium non eſt omnia omnino, que conſilio recte geruntur, atque ſcripto comprehenduntur, merito firmitate niti debere, ac perpetuam retinere memoriam. quapropter tam ad preſentium, quam futurorum fidelium recordationem ſcripto comendare propoſuimus, qualiter monachi ſancte *Marie* de Campis, qui ſunt in Suburbio metenſis civitatis, cum reliquiis glorioſe Virginis *Marie* & aliorum Venerabilium ſanctorum Alſatiam intrantes ad locum noſtrum Rubiacenſem devenerunt, ibique Chriſti fideles meritis ſanctiſſime virginis & aliorum ſanctorum, ſicut accepimus, multimodis ſibi miraculis oſten-

ſis congaudentes & de eorum patrocinio plurimum confidentes prefatas reliquias in confinio jam dicti loci retinere & venerari deſideraverunt. Hoc quidem gratum & acceptum habentes, jam dicti monachi ad nos & ad fratres noſtros majoris Eccleſie canonicos venientes devote ſupplicaverunt, ut in ſupradicte ville colle locum eis concedere, in quo ad Dei Laudem & ſancte *Marie* & prenominatorum ſanctorum reliquias collocarent. Hoc vero conſiderantes, eorum devotionem et totius Rubeacenſis populi tam militum, quam aliorum affectionem pro honore Dei & ſanctiſſime Genitricis ejus reverentia partem de ipſo Colle noſtro ſito juxta *Rubiacum* ad monaſterii ſedem & cimiterii & officinarum eis conceſſimus. Verum eo pacto convenimus, ut quum prior ibi eligendus fuerit requiſito conſilio prioris Metenſis, ſi infra triginta dies venire potuerit, unum de conventu ſuo fratres ibi Deo ſervientes eligant, ſi illic idoneus inventus fuerit; ſin autem de Capitulo Metenſi convenientem perſonam accipiant. ſi vero de eligendo prelato inter fratres diſcordia fuerit, per dominum Epiſcopum argentinenſem & priorem metenſem diſcordia terminetur; electione veto facta Domino argentinenſi Epiſcopo primum preſentetur, & ab eo dignitatis ſuae, ſecundum locum inveſtituram ſuſcipiat, eique fidelitatem & monaſterio de colle faciat. de ordine autem ſuo priori Metenſi reverentiam & obedientiam exhibeat cum fratribus ſuis. hec omnia in perſona domini *Walderici* a fratribus conſilio Prioris Metenſis in priorem electi per nos Completa fuerunt.

ſed

ſed ſi prior pro Culpa, aut exceſſu removendus fuerit, non ſine conſilio Domini Argentinenſis, & ejusdem ville proborum virorum, priorisque metenſis aſſenſu hoc valeat fieri. ſed ſi contigerit priorem decedere, vel arciori vite inhiare, vel propter majorem dignitatem aut pro voluntate ſua irracionabili diſcedere, ſubſtituendus in Priorem a fratribus ejusdem loci, ut jam dictum eſt, eligatur, & predicto neo-electus ſemper domino Epiſcopo argentinenſi preſentetur. Hec autem omnia in perpetuum firma permanere debent, ſalvo honore & juſticia domini Epiſcopi Baſileenſis, & antiquioris eccleſie de *Rubiaco.* ſunt autem hec, que ſpecialiter & expreſſim monachi *de monte* vitare debent, ne mater eccleſia, que in *Rubiaco* eſt, gravetur. Decimas parrochianorum ejusdem eccleſie nec manifeſte, nec occulte recipiant, nec de terra ſibi data, ſeu danda decimas retineant, egros in ipſa parrochia ſine conſenſu plebani nec communicent, nec oleo inungant, nec mortuos ſepeliant. Excommunicatis, ſeu ab Eccleſia ejectis divina officia non celebrent. Miſſam matutinam, que in plebana Eccleſia Celebratur; monachi ſua matutina miſſa preveniant. Et ſicut de miſſa matutina diximus, ſic etiam de proceſſione, que in dominicis diebus agitur, obſervandum conſtituimus, niſi ad plenitudinem conventus eccleſia de monte ſic augmentaretur, ut ſecundum monachalem regulam facere tardius tenerentur. Verbum ad populum, pronunciationes feſtorum & petitiones, quas pro neceſſitatibus faciunt monachi, breviter fiant, nec moram generent populo ad

Eccleſiam parrochianam feſtinanti, unde & ſimbolum in omni dominica annuntient. ut autem conceſſio noſtra & omnia, que predicta ſunt, firma & inconcuſſa permaneant, ſcriptum hoc ſigilli noſtri impreſſione confirmavimus. facta ſunt hec anno dominice incarnationis M. C. LXXX. III. indict. I. epacta XXV, concurrente V, *Lucio* Papa Romane Eccleſie preſidente, regnante *friderico* invictiſſimo Imperatore & ſemper auguſto. Hujus rei teſtes ſunt: *Bertoldus* prepoſitus majoris Eccleſie, *Fricco* Decanus, *Lantfridus* cantor, *Ebirardus* cuſtos, *Volricus* prepoſitus de *Haſela*, & ceteri fratres majoris Eccleſie *Anſelmus* advocatus, *Wernberus* Marſalcus, *Sifridus* Burgravius, *Ruodolfus* de *Rinowa* (b), *Ruodolfus* ſcultetus & *Waltherus* frater ejus de *Rubiaco*, *Wernberus* de *Speculo* (c), *Cuonradus* cauſidicus & fratres ſui *Theodericus* & *Algotbus*, *Hugo* filius Domini *Ruodolfi* de *Lobegazza* (d) *Thierricus* de *Turre*, *Vibilunc* & fratres ſui, *Wernberus* & *Gerardus*, *Gerardus Tobbo*, *Ortliebus*, *Fridericus* de *Wegeſade* & fratres ſui, *Heinricus Barte* & fratres ſui, *Burcardus* de *Mitilinbeim* & filii ſui, omniſque Rubiacenſis populus cum plebano ſuo *Hartungo*, amen. amen. amen. Signum *Heinrici.* (e)

(a) Extat corrupte in *Galliae Chriſtianae Tom. V. pag.* 483.

(b) *Rhetnau.* (c) von *ſpiegel.* (d) *Lobgaſſen.*

(e) Adpendet ſigillum bene ſervatum, quod exhibet Epiſcopum ſendetem in Pontificalibus cum mitra, dextra pedum & ſiniſtra librum apertum tenen-

tenentem cum inſcriptione: † *Henricus* Dei gratia Argentinenſis Epiſcopus.

XLIII.

LUCIUS III. PP. MONASTERIUM PARISIENSE IN PAGO ALSATIENSI SUB PROTECTIONE RECIPIT.

Ex autographo tabularij Abbatiae Pariſienſis.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Wezilo* abbati *monaſterii pariſienſis*, in pago alſatienſi ejusque fratribus tam praeſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe praeſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſancte religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatum *monaſterium pariſienſe* in pago alſatienſe ſitum, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus & preſentis ſcripti privilegio communimus; inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & beati *Benedicti* regulam atque inſtitutionem ciſtercienſium fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur: praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona idem monaſterium in praeſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in

 futu-

futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata pemaneant. in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipſum in quo praefatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus ſuis pertinentiis, *Rinvelden*, *Lebein*, *Scheferveld*, *Archenheim*, *Mochenheim*, *Egenheim*, *Fort*, *Mittelwilre*, *Kolmere*, *Altparis*, *remimant*, *Katzintal*, *Rambuch*, *Schroding*, *pfaffenheim*, *ruffach* & *Herlisheim* cum omnibus ſuis pertinentiis ſane laborum veſtrorum &c. Ego *Lucius* Catholicae eccleſiae Epiſcopus &c. &c. Datum *Veronae* per manum *Alberti* S. *Romanae* eccleſiae presbiteri Cardinalis & Cancellarii. IV. idus Martii, indictione III, incarnat. Domin. anno M CLXXXIV, pontificatus vero Dom. *Lucii* papae III. anno IV.

XLIV.

BERNARDUS PRAEPOSITUS MARBACENSIS *BURGAE* SORORI SUAE *OTTONIS* RUBIACENSIS UXORI CONCEDIT CARRATAM VINI IN CURTE SUA SULZENSI. Data circ. an. 1184. (a)

Ex libro membranaceo Monaſterij Marbacenſis fol. 2.

Notum eſſe volumus tam praeſentibus, quam futuris, quod ego *Bernhardus* Dei gracia Mar-

Marbacenſis ecclefie prepoſitus, cum conſilio fratrum noſtrorum, rogatu autem ſororis noſtre *burge*, uxoris quondam bone memorie *Ottonis* Rubiacenſis in curte noſtra *Sulze* (b) caradam vini eidem, quoad vixerit, annuatim dari ſtatuimus, ipſa autem obeunte in anniverſario prenominati mariti ejusque filii *Sigefridi* toti congregationi Caritatem exinde impendi decrevimus. ut autem firmum illibatumque permaneat, preſentis ſcripti autoritate firmamus pro innumeris ecclefie noſtre ab eo collatis beneficiis.

(a) Charta eſt ſine aera: aſt tunc vivebat *Bernardus* chartae auctor. Nam *Bernardus* Prepoſitus de *Marpach* an. 1184. teſtis ſignavit chartam *Henrici* Baſilienſis Epiſcopi pro monaſterio S. *Albani*, quam edidit *Schoepflinus Alſat. Dipl. T. I. p. 281.*

(b) hodie *Ober-Sultz.*

XLV.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS CLAUSTRALE PRAEDIUM IN *ARTZENHEIM* *WECELONI* ABBATI PARISIENSI ET EJUS ABBATIAE CONCEDIT. Data Anno M. C. LXXXV.

Ex autographo tabularij Epicopalis Tabernis Alſaticis.

H*einriens* Dei gratia Argentinenſis miniſter humilis, omnibus, ad quos preſens pagina pervenerit, ſalutem in vero ſalutari. Quia labilis eſt

humana memoria, & res neceſſaria a ſuo ſtatu facile dilabitur, niſi ſcriptis confirmetur; inde eſt, quod univerſis tam modernis, quam poſteris, ad quos hoc ſcriptum pervenerit, manifeſtare curavimus, qualiter Dominus *Heinricus* de *Sulze*, & proles ejus predium quoddam in territorio *Arcenheim* (a) ſitum poſt mortem domini *Egenonis* avunculi uxoris ſue jure hereditario putabat optinere. Hoc autem predium jure proprietatis ad noſtram majorem Eccleſiam pertinebat. Prefatus igitur *Heinricus* & proles ejus, qui illud predium injuſte tenebant, poſtpoſita & reſignata omni ſpe ſucceſſionis & hereditatis, in manus noſtras ipſum predium reſignaverunt. Nos autem tam ex dignitate Scolarum, quam adhuc in manu noſtra tenebamus, quam ex Epiſcopatu habentes poteſtatem procurationis ſuper puerum quendam eccleſie majoris Canonicum, ad quem ſepe nominatum predium nomine beneficii clauſtralis ſpectabat, ex aſſenſu domini *Egelolfi* de *Urſelingin* (b) patris jam dicti pueri, & ex aſſenſu ejusdem pueri & univerſi Capituli argentinenſis majoris Eccleſie Venerabili abbati *Weceloni* & monachis *Pariſienſis Cenobii* ſepe nominatum predium pro Cenſu X. ſolidorum argentinenſium in feſto ſancti *Martini* annuatim ſolvendorum jure hereditario in perpetuum conceſſimus. Hoc quoque ſtatuentes, ut ſuccedentibus invicem ſibi perſonis in titulum ejusdem prefati predii ſemper firma maneat ſemel facta conceſſio & eccleſia Pariſienſis, vel aliquis nomine ipſius, de manu non cogat illud iterato ſuſcipere, ſed ad recognoſcendam legitimo poſſeſſori juſtitiam

tiam ſuam XII. denarios argenti perſolvat. Hoc quoque dignum duximus inſerere, quod predictus abbas & monachi XXX libras Baſileenſes jam nominato *Heinrico* dederint, ut poſſeſſionem, quam incaute tenebant, ipſe cum prole ſua in manus noſtras reſignaret, facta autem hec donatio a nobis & Capitulo argentinenſi Abbati & Eccleſie Pariſienſi, anno ab incarnatione Domini M.C.LXXXV. regnante *friderico* Imperatore; & ut hec verius credatur, preſentem paginam inpreſſione ſigilli noſtri munivimus, & quod veritas magis eluceſcat, ſigillum Capituli Argentinenſis majoris Eccleſie apponi fecimus. Hujus quoque facti teſtes ſunt *Bertoldus* prepoſitus de *Swarzenberc*, *Fricco* Dechanus, *Lentfridus* Cantor, *Cunradus* Archidiaconus de *Huneburc*, *Eberhardus* Cuſtos, *Eberhardus* de *Junginge*, *Burchardus* Archidiaconus de *Tengen*, *Werno* Canonicus, *Morandus* Canonicus.

(a) *Artzenheim* pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem.

(b) Dominus *Egelolfus* de *Urſelinge* & *Olricus* filius ejus inter teſtes memorantur in diplomate *Friderici I.* Imp. dato *Columbarie* 5. Octobris 1185. pro Eccleſia S. *Petri* Colmarienſi, quod ex autographo ejusdem Civitatis edidit *Schöpflinus Alſat. Diplom. Tom. I. pag.* 284.

XLVI.

XLVI.

BERTHOLDUS MAJORIS ECCLESIAE ARGENTINENSIS PRAEPOSITUS FRATRIBUS CANONICIS MONTEM EPHENBERG AD COMMUNES EORUM USUS TRADIT. Data circa menſem Majum anni M.C.LXXXV.

Ex libro ſalico Majoris Eccleſiae Argentinenſis fol. 40.

B*ertholdus* Dei gratia majoris Eccleſie argentinenſis Prepoſitus, Univerſis fratribus ſuis Canonicis majoris Eccleſie ſalutem & fraternam dilectionem. Quia in lecto infirmitatis noſtre propter quorundam veſtrum abſenciam omnium preſentiam habere non poſſumus, quod in preſentia paucorum fecimus, & coram aliis preterea confeſſi ſumus, hoc ad omnium veſtrum notitiam ſcripto noſtro perducimus. Noſcat ergo veſtre univerſitatis dilectio, quod coram domino *F.* Decano (a) & domino *Hugone* de *friburg* vice & totius Capituli loco recognovimus, quod mons ille, qui dicitur *Ephenberch*, quem nos occaſione Cellerarie occupaveramus, non ad Cellerariam ſpectat, ſed ad veſtros communes uſus ex integro pertinet. Qua propter redeuntes ad propriam & certam conſcientiam ſuper omni noſtro exceſſu & negligencia, & maxime in eo quod circa retencionem illius montis deliquimus, a Deo & a vobis indulgenciam humiliter imploramus. Ne ergo ulli omnino hominum nobis in dignitate, vel officio, ſeu beneficio aliquo ſuccedenti, ſub noſtro nomi

nomine vel occaſione noſtre poſſeſſionis de prefato monte aliquid liceat uſarpare, jam dictum montem, ſive ad ſanitatem per Dei gratiam revertamus, ſive de hac vita migremus, Univerſitati veſtre, ad quam de jure pertinet, ad communes uſus fratrum dimittimus, & ſigillo noſtro preſentem paginam confirmamus. Poſt hec hoc idem factum noſtrum recognovimus, & coram infraſcriptis perſonis nos feciſſe confeſſi ſumus, ſcilicet *Morando* ſcholaſtico, *Burcardo* archidiacono, *Bertholdo* nepote noſtro, magiſtro *Petro*, magiſtro *Ingrammo*, *Petro* plebano de *Sletzſtat*, *Manegoldo*, *Nibelungo*, *Ottone*, & aliis plerisque. (b)

(a) Scilicet *Fricco* Decanus in chartis annorum 1183 & 1193. memoratus.

(b) Charta haec ſine aera eſt: pro illa vero aſſignatur annus 1185, quo in alia ejusdem anni charta inter teſtes legitur *Bertoldus* Prepoſitus de *Swarzenberc;* qui eodem anno vel ſequente 1186. obijt, cum in alia modo dicti anni 1186, jam occurrat *Reinhardus* de *Tengen* praepoſitus. Necrologium Argentinenſe *Bertholdi* praepoſiti deceſſum aſſignat ad diem XXX. Maji.

XLVII.

XLVII.

LUDOVICUS COMES FIRRETENSIS OMNIA A SUO AVUNCULO *UDALRICO* COMITE DE *EGINSHEIM* MONASTERIO PARISIENSI CONCESSA CONFIRMAT &c.

Ex autographo tabularij Abbatiae Pariſienſis.

Munificentia Regum, ſed & largitate principum fundata novimus & augmentata Coenobia Deo militantium, quoniam gratiam, quam propriis actibus aſſequi non ſperabant, eorum interventu apud patrem miſericordiarum promereri confidebant. inde eſt, quod & ego *Ludovicus* comes *firretenni* ac filii mei zelo clarorum principum provocati, ac divina remuneratione illecti votis religioſorum clementius annuentes, omnibus futuris ſaeculis praeſentis paginae ſcripto notificamus, qualiter *Coenobium pariſienſe* fundatum & ordini Ciſtercienſi ab avunculo meo piae memoriae *Odalrico* comite de *Eginsheim* ad ſerviendum Domino ſit oblatum. avunculus enim meus praedictus *Odalricus* & miniſteriales ſui *Rutliebus* & filius ejus *Carolus* fundum *abbatiae pariſienſis* cum ſilvis, aquis, ſeu pratis in valle circumjacentibus omni jure, quo ipſi poſſederant, abbati Lucelenſi *Chriſtiano* & fratribus ſuis pro remedio animarum ſuarum libera donatione contradiderunt, ſed & poteſtatem miniſterialibus ſuis, ſi quid in elemoſinam praedictae abbatiae tam in terris, quam in aliis rebus conferre de caetero voluiſſent mente devota indulſit. ea propter cum nos haereditarie praefato ſuc-

ſucceſſimus avunculo, ea, quae ab ipſo jam dudum praedicto abbati & fratribus ſuis in *paris* domino perenniter ſervientibus oblata ſunt ſimili ratione ob honorem Domini & intemeratae genitricis ejus *Mariae* benigne confirmamus. ſed & deinceps quicquid in Elemoſinam rerum mobilium vel immobilium quispiam miniſterialium noſtrorum eisdem fratribus donare voluerit, concedimus, & ut nulli haeredum noſtrorum id retractare contingat ſigilli noſtri impreſſione communimus. ſane memoriae commendandum, quod *Wernherus* abbas de *paris* omnisque fratrum conventus mihi & uxori meae ac filiis noſtris easdem orationes quas ſibi mutuo perſolvere debent ex ordine, vobis quoque poſt obitum noſtrum impendere compromiſerunt. teſtes horum ſunt *Heinricus* Baſilienſis Epiſcopus, *Heinricus* epiſcopus Argentinenſis, *Werilo* abbas Lucelenſis, *Wernherus* abbas pariſienſis, *Conradus* abbas teunibacenſis *Heinricus* abbas S. *Gregorii* & alii quam plures abbates, *Wecilo* & *Burcardus* frater ejus, *Carolus* & filii ejus *Rutliebus* & *Petrus* de *Eginheim*, *Sifridus* de *Anſolsheim*, *Rudegerus* & *Bernherus* de *Volcolsheim* & alii multi, acta ſunt anno Incarnationis Dominicae M.C. L.XXXVII. Indictione V. praeſidente ſedi Romanae *Urbano* papa III., Imperante *friderico* Caeſare auguſti, anno Imperii ſui XXXVII.

XLVIII.

XLVIII.

HEINRICUS BASILEENSIS EPISCOPUS MONASTERIUM LOCI CRESCENTIS A PEDAGIO PER TOTUM EPISCOPATUM EXIMIT.

Ex copia vidimata Abbatiae Loci Creſcentis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Heinricus* Dei gracia baſilienſis Epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus & venerabili abbati monaſterii *loci creſcentis* & univerſis ibidem Deo famulantibus in perpetuum. Cum ad vere ſalutis profectum plurimum nobis expediat religioſorum annuere ſuffragiis, atque concordi zelo relevandis ipſorum proventibus circa temporalia nos decet conſulere & eorum tam humilibus quam dignis poſtulationibus efficaciter & favorabiliter prebere aſſenſum, quia vero fides verior adhibetur iis que prehabito teſtium & ſubſcriptionis munimine ſe tam praeſentibus quam futuris preditum litterarum adnotatione duximus declarandum, ergo cum nepos noſter *Ludfridus* miles de manu nobilis viri *Lodovici* comitis de *Phirreto* pedagium in terra noſtra & in terris comitis haberet in pheudo, quod vero prefatus comes de manu noſtra tenebat ad preces abbatis *Joſephi* & memorati monaſterii in dicti comitis & *Ulrici* filii ſui & noſtrae animae remedio de conſenſu fratrum ipſius *Ludfridi*, *Henrici* ſcilicet & *Burchardi*, monaſterium a ſupradicto pedagio per totum Epiſcopatum noſtrum & per manus ejusdem comitis eximerit in perpetuum ut factum iſtud

iſtud ſtabilitatem in perpetuum ſortiatur praedictam paginam ad confirmationem rei munitam ſigillo noſtro & ſigillo comitis juſſimus communiri. teſtes quoque infra ſcriptos duximus memorandos, qui ſunt hii. Magiſter *Hugo* de *fontenay*, *Warnerus* abbas de *paris*, *albertus* de . . . Canonicus ſancti *Martini* de *Baſilea*, *beſo* Cellarius Murbacenſis, *Wernerus* de *rouffach hugo* de . . . *Wernerus* de *Munſterot Theodoricus monetarius*, Data ſunt hec ann. incarn. domin. M. C. LXXXVIII, indictione ſeptima.

XLIX.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS DECIDIT LITEM ORTAM INTER CANONICOS MARBACENSES ET NOBILES DE *HATSTATT* CIRCA QUARTAM PARTEM PATRONATUS ET OCTAVAM PARTEM DECIMARUM IN *HERLISHEIM* ET CIRCA QUAEDAM ALIA BONA. Data Anno MCLXXXVIII.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine Patris & filii & ſpiritus ſancti. Ego *Henricus* Dei gratia argentinenſis Epiſcopus notum eſſe cupimus tam preſentibus, quam futuris, quomodo eccleſiam Marpacenſem jure fundi & territorii ad tutelam & defenſionem argentinenſis eccleſie pertinentem in juſtitia ſua fovimus cujus cauſe tenorem ſcriptis mandare curavimus. igitur inter Canonicos ipſius eccleſiae & milites

 de

de *Hadiſtat* (a) *Wernherum*, *Cuonradum*, *Epponem* controverſia agitabatur pro quarta parte patronatus, & octava parte decimarum eccleſie *Herlisheim* (b), quam eccleſia Marbacenſis LX. annis & amplius in eccleſiam *Herlisheim* prefatam partem patronatus & decimarum juſte & quiete poſſederat; Sed predicti milites in jus beneficii hec attrahere volebant. Hac igitur cauſa cum in preſentia Epiſcopi Baſileenſis *Henrici* ſepius tractata eſſet, nec ibi terminari potuiſſet, tandem ad audientiam *Theoderici* Biſuntienſis archiepiſcopi per appellationem tractata eſt. idem vero archiepiſcopus nobis cauſam eandem audiendam & judiciario ordine terminandam delegavit. Nos igitur utriusque partibus in preſentiam noſtri convocatis in Choro argentinenſi, preſentibus Canonicis majoris eccleſie aliisque multis tam clericis quam etiam Laicis ipſius eccleſie miniſterialibus cauſam ipſam diligenter examinando diſcuſſimus; tandem ex communi ſententia judici ſic definitum eſt, ut ſi canonici marbacenſes juſtam & legalem poſſeſſionem in quarta parte patronatus & octava parte decimarum eccleſie *Herlisheim* teſtibus probare potuiſſent, ſine omni pulſatione inpoſterum juſticie ſue libertatem in prefata Eccleſia pro ſua parte obtinere deberent. itaque prepoſitus marbacenſis *Bernhardus*, *Reinoldus* de *itenwilre* (c). & *fredericus* prepoſitus a *Trutenbuſen*, & *Wernherus* Marſchalcus & *Ruodolfus* ſcultetus, & *Wernherus* ſcultetus de *Pabchinheim*.(d), *Algotus*, *Crapho* procedentes in medium quartam partem decimarum eccleſie *Herlisheim* Marbachenſis eccleſiae propriam eſſe juramento pre-

preſtito comprobaverunt. Nos itaque in preſentia omnium qui aderant, tam clericorum quam Laicorum, cauſam ipſam veritate ſubnixam confirmavimus & banno Epiſcopali juſtitiam marbacenſis ecclesie in Ecclesia *Herlisheim* pro ſupra memorata parte patronatus & decimarum roboravimus, & prenoninatis Epiſcopis Biſuntienſi & Baſilienſi modum geſte a nobis rei litteris noſtris ſignificavimus. Ipſi vero juſtitie faventes, & paci eccleſiarum conſulere volentes, cauſam ipſam, ut a nobis geſta eſt, approbantes confirmaverunt, & ſcripti ac ſigilli ſui inpreſſione roboraverunt; Dominus quoque Papa *Clemens* tertius (e) eandem cauſam ſua auctoritate prefate eccleſie confirmavit. Nos quoque preſenti ſcripto eam in perpetuum confirmavimus, & quarta parte patronatus, & octava parte decimarum eccleſie *Herlisheim* amplius gravare preſumpſerit, cum Dei omnipotentis & noſtre excommunicationis vinculo ligamus. Preterea quoque omnibus notum eſſe cupimus, quod prefata Eccleſia marbacenſis pratum, quod dicitur *Buomatten*, ipſi monaſterio contiguum a tempore fundationis ſue poſſederat. Prefati itaque milites de *Hadiſtat* beneficium montis *Lenginberc* a domino *Cuonone* de *Horburc* habentes, ad partem beneficii ſui ipſum penitus adtrahere voluerunt. Hec itaque cauſa cum coram nobis ſepius eſſet actitata, tandem noſtro auxilio & miniſterialium argentinenſis eccleſie conſilio agente, pecunia quoque Canonicorum mediante, eſt terminata. Prefati ſiquidem milites in preſentiam noſtri venientes, cernentibus plurimis tam clericis quam Lai-

 cis

cis & argentinenſis eccleſie miniſterialibus, quicquid de prato *Buomatten* habebant, querimonie abdicarunt, & preterea quidquid de beneficio montis *Lenginberc* (f) tam in agris quam in pratis, vel etiam in fructicis cultis, ſive incultis habebant, a confinio ſilve *Hohenbec* in fine prati majoris, & quicquid infra ipſius vie ductum circumcingitur, & quicquid a termino minoris prati intra torrentem *Marbach*, & ſuperiorem viam montis *Lenginberc* inferius uſque ad locum noſtrum deſcendit, quicquid quoque infra habent ambitum de parte beneficii ſui, quodcunque intra eſſe videbatur, domno ſuo *Cuononi* in manus reſignaverunt. ipſe vero dominus *Cuono* voluntarie nobis ipſum reſignavit. Nos igitur pro honore ipſius Eccleſie, quam omnimodis honorare cupimus, & pro ſalute anime noſtre cum manu advocati argentinenſis eccleſie *Anshelmi*, qui in preſentiarum aderat, quicquid ipſi Domno *Cuononi*, & quicquid ipſe nobis ut predictum eſt, reſignaverat, Marbacenſi eccleſie in perpetuum dedimus & argentinenſis eccleſie miniſterialibus, ſimul cum manu advocati Marbacenſi eccleſie, in perpetuum libere optinenda tradidimus. Canonici quoque predicte eccleſie ad ſupplementum expenſe peregrinationis ſue prefatis militibus viginti quinque marcas examinati argenti contulere. Hujus rei teſtes ſunt archiepiſcopus Biſuntinus *Theodoricus*, & Epiſcopus Baſilienſis *Henricus*, qui adfuerunt & viderunt, & cum eis Clerus ipſorum. Nomina teſtium hec ſunt: *fricco* Decanus, *Ebehardus* cuſtos, *Heinricus* de *Veringen* & alii majoris eccleſie Canonici. *Anshel-*

helmus advocatus, *Wernherus* Marſchalcus & filius ejus. *Ruodolphus* de *Rinowa*, & filius ejus, *Rudolphus* ſcultetus & *Waltherus* frater ejus, *Wernherus* ſchultetus de *Phaphenheim*, *Dietbericus*, *Crapho* & *Algotus* frater ejus. *Wernherus* de *Columbria*, *Reinboldus* de *Phaphinheim*, & alii plurimi, tam clerici quam Laici. Acta ſunt hec anno incarnationis Dominice M.C.LXXXVIII. regnante glorioſiſſimo Romanorum Imperatore *friderico*.

(a) *Hadſtatt*, illuſtris Alſatiae ſuperioris familia, quae an. 1585. exaruit, univerſa Hadſtattenſium fere hoereditate in ſchawenburgios hodiernos ejus poſſeſſores, translata.

(b) *Herlisheim*, oppidulum duabus ſupra *Colmariam* leucis ſitum pertinet hodie ad nobiles de *Schawenburg*.

(c) Scilicet Praepoſitus de *Ittenweiler*.

(d) *Pfaffenheim*.

(e) *Clemens III.* electus fuit Papa 19. Decembris 1187.

(f) *Lengenberg* vicus prope *Hohen - Hadſtatt* hodie deſtructus, cujus bona in praedium converſa poſſidet nunc D. *Bruges* Colmarienſis.

L.

THEODERICUS BISUNTINUS ARCHIEPISCOPUS *HENRICI* ARGENTINENSIS EPISCOPI CIRCA ECCLESIAM MARBACENSEM SENTENTIAM CONFIRMAT. Data Anno M. C. LXXXVIII.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Ego *Theodericus* Dei gratia Biſuntinenſis archiepiſcopus notum eſſe cupimus tam preſentibus, quam futuris, quod cauſa que agitabatur inter Canonicos marbacenſes & milites de *Hadſtat* ſuper quarta parte patronatus, & octava parte decimarum eccleſie *Herlisheim*, cum ſepius in preſentia Epiſcopi Baſileenſis tractata, nec ibi terminari potuiſſet, ad noſtram audienciam tandem appellata eſt. Nos itaque eandem cauſam Epiſcopo argentinenſi *Henrico* audiendam, & judiciario ordine terminandam delegavimus, qui Epiſcopus, utriſque partibus in preſentiam ſui convocatis, in choro argentinenſi preſentibus majoris Eccleſie canonicis pluribus, alijsque multis tam clericis, quam etiam ipſius eccleſie miniſterialibus, cauſam ipſam diligenter examinando diſcuſſit. tandem ex ſententia judicii ſic de terminatum eſt, ut ſi Canonici juſtam & legalem poſſeſſionem in quarta parte patronatus, & octava parte decimarum Eccleſie *Herlisheim* teſtari potuiſſent, ſine omni pulſatione inpoſterum juſticie ſue libertatem in prefata eccleſia pro ſua parte obtinere debuiſſent.

ita-

itaque prepoſitus marbacenſis *Bernhardus* ſeptima manu tam clericorum quam Laicorum quartam partem patronatus & octavam partem decimarum eccleſie *Herlisheim* marbacenſis eccleſie propriam eſſe comprobavit, ipſe demum epiſcopus argentinenſis in preſentia omnium tam clericorum, quam Laicorum cauſam ipſam confirmavit, & banno epiſcopali juſtitiam Marbacenſis Eccleſie in Eccleſiam *Herlisheim* pro ſupra memorata parte patronatus & decimarum roboravit. Nos quoque ipſius cauſe veritatem ab eodem epiſcopo audientes, & utilitati eccleſie Marbacenſis conſulere volentes preſentis ſcripti auctoritate & ſigilli noſtri impreſſione eandem cauſam confirmamus, & quicunque hominum Marbacenſem Eccleſiam gravare preſumpſerit, cum omnipotentis Dei & noſtre excommunicationis vinculo ligamus. Acta ſunt hec anno Incarnationis Dominice MCLXXXVIII, regnante glorioſiſſimo Romanorum Imperatore *friderico*. Hujus rei teſtes ſunt *fricco* Dechanus, *Eberhardus* prepoſitus ſancti *Petri*, *Conradus*, *Henricus* de *Veringe*, *Reinoldus* prepoſitus de *Itenwilre*, Marſchalcus *Wernherus*, & filius ejus *Wernherus*, *Ruodolfus* Cauſidicus, & *Waltherus* frater ejus. *Dietherius* & *Algotus*. *Crapho* & *Ruodolphus* de *Rinouwe*, & alii plures tam Laici quam clerici.

LI.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT FUNDATIONEM PRAEBENDAE ELEEMOSYNARIAE IN COLLEGIATA HASELACENSI FACTAM A *WOLFHELMO* MILITE DE *TRUCHTERSHEIM.* Data Anno M. C. LXXXVIII.

Ex libro vitae Collegiatae Haſelacenſis an. 1572. conſcripto fol. 15.

In nomine ſanctiſſime Trinitatis, *Henricus* Dei gracia argentinenſis Epiſcopus. Ne temporum mutatione & fluxu memorie veniat in dubium, quod ſemel inter acta eſt confirmatum, teſtimonio litterarum poſteritati notificamus, quod dominus *Wolfhelmus* de *Trutersheim* (a) vir moribus & gente conſpicuus, profeſſione miles, *Alberti* cuſtodis eccleſie noſtre Haſelacenſis frater germanus beatitudini ſue in perpetuum providens in augmentum miniſtrorum Dei altari in ſiniſtro latere monaſterii noſtri in honore S. *jacobi* confecto, ſolempni donatione inter vivos contradidit dimidium manſum cum curti una in *Truhtersheim*, & aliam in *Tungenesheim* (b), & duos agros in *Bruſebevelt* (c) ad lumen ejusdem altaris, & vineam, quam ipſe pro annua penſione dimidie carrate vini quoad ipſe viveret receperat, apponens hanc laudabilem conditionem in perpetuum valituram, ut hanc prebendam vocatam elemoſynariam presbyter aliquis boni teſtimonii in Choro aſſiduus, nullo alio eccleſiaſtico beneficio occupatus, ter in ebdomada inter

Digitized by Google

inter primam & tertiam in eodem miſſas celebraturus, & ſi eidem presbitero placuerit vicem cujuslibet canonici gerere decreto capituli ſtatutum eſt, ut in majori altari miſſas celebrare non prohibeatur. & poſtquam prebende hujus auctor *Wolfhelmus* & frater ſuus cuſtos de hac luce migraverint, quandocunque eandem prebendam humanitus vacare contigerit, quicumque fuerit decanus, aliam perſonam, de conſilio ſeniorum & prudentiorum fratrum, debet eligere & inveſtire. Campanario quoque & miniſterio hujus ſemper ſit paratus, de vinea quam dedit *Gerhardus* in *Tungenesheim*, due ame vini aſſignate ſunt. & ſi idem presbyter ad aliam prebendam, vel eccleſiam vocatus fuerit, hec elemoſinaria prebenda pro derelicta habita alii perſone nullo alio eccleſiaſtico beneficio occupate debet aſſignari, & ex Cautela fructus a Decano debent vendicari & futuro ſucceſſori reſervari dimidias autem oblationes Cuſtos recipiat, ne in officio ſuo aliquam moleſtiam ſuſtineat. Dominus *Henricus* quoque de *Dorolvesheim* (d) cognatus predictorum fundatorum dimidio agri vineti in *Altenberg* (e), idem altare in die prime dedicationis ſue libere dotavit. predictus etiam *Albertus* cuſtos primam donationem adaugens pratum, quod dicitur *Langen-matten*, eidem altari donavit, tale pactum adyciens, ut ipſe, quoad viveret, in die dedicationis duos denarios perſolveret, & poſt deceſſum ſuum miniſter altaris libere poſſideret. Inſuper dominus junior ſcultetus in *Mucziche* (f) lapideam domum cum curti in villa *Haſela*, ut presbiter altaris in eo ha-

 bi-

bitaret, libere contradidit. Acta ſunt hec anno ab incarnatione domini M.C.LXXXVIII. regnante *friderico* Imperatore ſereniſſimo, indictione ſexta. teſtes, quibus hec preſentibus acta ſunt, hii fuerunt: *Udalricus* tunc temporis prepoſitus ejusdem eccleſie, *fridericus* prepoſitus S. *Thome*, *Ludewicus* Decanus, *Albertus* Cuſtos, *Burchardus* Scolaſticus, *Otto* Cellarius & reliqui Canonici. Laici vero teſtes cooperatores & collaudatores hi fuerunt, *Otto* de *Geroltefeke* tunc temporis eccleſie advocatus, *Udalricus* Cauſidicus, *Gotfridus*, *Heinricus*, *Gerloch* milites, *Wolfhard*, *Eberhard*, *Ermenrich*, *Egelolf*, & reliqui villani.

(a) *Truchtersheim* pertinet ad Epiſcopum Argentinenſem.

(b) *Dingsheim* ad eundem ſpectat Epiſcopum.

(c) forte vicus *Bruſch*, eſt Domini de *Choiſeul-Meuſe*.

(d) *Dorlisheim*, familia nobilis hujus nominis ante ſeculum XV. extincta.

(e) Locus ignotus in hac vicinia.

(f) *Mutzig*.

LII.

LII.

CONRADUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS INIT TRANSACTIONEM INTER CAPITULUM HONAUGIENSE ET *GARSILIUM* MILITEM DE *BERSTETT*. Data anno M.C.XC.

Ex libro albo ſive *Weisbuch* Eccleſiae Collegiatae S. *Petri* ſenioris fol. 74.

Conradus Dei gratia argentinenſis electus, univerſis, ad quorum noticiam hoc ſcriptum pervenerit, ſalutem cum vero ſalutari. proclivis eſt ad malum preſens etas: doli artifex & cupiditate aeſtuans fratres armat ad Calumniam & rapinam. hujus itaque intuitu rationis preſenti pagina decrevimus commendare, quod cum inter Honagenſes fratres & *Garſilium* militem de *Berſtett* cotroverſia de quibusdam decimis apud *Niſern* & *Berſtetten* & *Vendenheim* & *Lambertheim* ſitis verteretur, eo quod Honaguenſes fratres dicerent easdem decimas ad prebendam ſuam pertinere, & prefatus *Garſilius* miles aſſereret, quod tam ipſe quam pater ſuus ab omnibus honaugenſis eccleſie prepoſitis easdem decimas feudali jure hactenus poſſediſſent. Contentio utrorumque per concilium prudentum virorum hoc modo eſt determinata, ut honaugenſes canonici de communione ſua prefato militi ſeptem talenta perſolverent, & ipſi ſepe nominatas decimas deinceps in perpetuum libere & absque contradictione tam predicti *Garſilii* & amicorum ejus, quam prepoſiti & ſucceſſorum ipſius ad ſupplementum prebende

bende ſue communiter poſſiderent, quam pecuniam ipſi Canonici memorato milite perſolverunt, & ipſe uſurpatas decimas reſignavit, & dominio atque poſſeſſioni eorum reſtituit: Actum eſt autem & publice promulgatum anno dom. incarnat. M.C.XC. aſſiſtentibus prelatis & Canonicis majoris eccleſie Canonicis eccleſie S. *Thome* & S. *Petri* & quam plurimis feliciter.

LIII.

HENRICUS VI. IMP. ABBATIAM ERSTEINENSEM, ALLODIUM *MILZECHE* ATQUE DUAS AREAS IN *ARGENTINA* ET *MOLSHEIM CONRADO* EPISCOPO ARGENTINENSI ET EJUS ECCLESIAE CONCEDIT. Data XVII. apr. M.C.LXXXXI. & IV. Martij M. C. LXXXXII.

Ex libro ſalico Cathedralis Argentinenſis fol. 69.

In Nomine ſancte & individue Trinitatis. *Henricus* ſextus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus. Regnorum apices ſuis glorioſius attendentes clareſcere preconiis, ſi Regum animos fervor accedat karitatis, ex officio imperialis magnificenciae noſtre ac munificencie dextram ſalubriter decrevimus eccleſiarum porrigere incrementis. Noverit itaque omnium imperii fidelium tam preſens etas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos pro remedio animarum ſereniſſimi Patris noſtri Domini *friderici* felicis memorie

morie glorioſi Romanorum Imperatoris auguſti, ac progenetricis noſtre bone recordationis Domine *Beatricis* illuſtriſſime Romanorum Imperatricis (a), nec non dilecti fratris noſtri pie recordationis *friderici* illuſtris ſuevorum Ducis, atque omnium parentum noſtrorum, ac favore dilecti nobis *Cunradi* argentinenſis Epiſcopi, qui noſtris ac Imperii fideliter ac devote inſudavit obſequiis, Eccleſie ſancte *Marie* in *argentina* & Epiſcopatui clauſtrum de *Eriſtein* cum miniſterialibus & univerſis pertinentiis ejus, ſicut ad imperium ſpectare dinoſcitur, & allodium noſtrum ſpeciale *Milzeche* in Metenſi Epiſcopatu (b) ſitum jure donavimus proprietatis & perpetuo, volentes ut jam dictus Epiſcopus, & omnes ejus ſucceſſores predictam abbatiam & allodium cum omnibus pertinentiis eorum, terris videlicet cultis & incultis, montibus planiciebus, agris, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, omnibus fructibus & commodis exinde provenientibus libere & abſolute percipiant, & quiete poſſideant, areas quoque duas, unam in *argentina*, quam *Burkardus* vicedominus edificavit, atque alteram in *Mollesbaim*, que fuit *Ottonis* quondam ſculteti, ſimul cum earum edificiis, propter predictas cauſas prefato Epiſcopatui & eccleſie eodem jure contulimus. Hanc autem noſtre majeſtatis donationem fecimus in campeſtribus inter urbem & *Tuſculanum*, preſentibus *Godefrido* Aquileienſi Patriarcha, *Philippo* Colonienſi archiepiſcopo, *Ottone* Bambergenſi Epiſcopo, *Milone* mediolanenſi archiepiſcopo, *Alberto* Vercellenſi Epiſcopo, *Bonifacio* Novarienſi Epiſcopo,

copo, *Cunrado* duce de *Rotenburc* fratre noſtro, *Ottone* Boemorum Duce, *Heinrico* de *Bruneswic* filio *Heinrici* quondam ducis ſaxonie, *Rabotone* comite de *ortemberc Theodorico* comite de *Hoſtado*, *Petro* prefecto urbis, *Robcrto* de *Durne*, *Craftone* de *Boekesburc*; & aliis quam plurimis. *Dietericus* vero Imperialis aule Cancellarius vice *Philippi* Colonienſis archiepiſcopi & totius Italie archicancellarii recognovit. anno ab incarnatione Domini M.C.XCI, indictione IX, regnante Domino *Heinrico* ſexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus XXII, Imperii vero primo. Datum per manum *Heinrici* Prothonotarii XV. Kalendas Maij. proceſſu autem temporis, principibus in preſencia noſtra apud *Hagenowe* conſtitutis, tam de convencione inter nos, & jam dictum fidelem noſtrum argentinenſem Epiſcopum habita, quam etiam de principum ſciencia, placuit ut predicta donacio facta de clauſtro *Eriſtein* ad imperium pertinente retractaretur, qua non eſt licitum, res ad imperium ſpectantes alienare abſque imperii proventu & utilitate. Ideoque praenominatus Epiſcopus *Cunradus* in manum noſtram prefatam abbatiam cum omnibus pertinenciis ſuis reſignavit, in priſtinam fiſci noſtri poteſtatem reſtituit, reliqua donatione firma permanente, quam fecimus in allodio noſtro ſpeciali *Milzecbe* & in prefatis curiis, in *Argentina* & *Mollesbeim* conſtitutis. Que celſitudinis ac liberalitatis noſtre donatio de ſepedicto allodio *Milzecbe*, & de prememoratis areis & edificiis facta, ut rata & inconvulſa permaneant, preſentem inde paginam

nam fecimus conſcribi, eamque ſigillo noſtri nominis juſſimus communiri, precipientes & imperiali ſancientes edicto, ut nulla perſona humilis vel alta, ſecularis vel eccleſiaſtica, huic noſtre magnitudinis magnificencia preſumat obviare, vel eam auſu temerario infringere, contrafaciens celſitudinis noſtre incurrat indignacionem, atque nomine pene mille marcas argenti componat, medietate fiſco Imperiali applicanda, alia vero medietate Epiſcopo argentinenſi, qui pro tempore fuerit, perſolvenda. Hujus rei teſtes ſunt *Cunradus* Maguntinus archiepiſcopus, *Otto* Bambergenſis Epiſcopus, *Hermannus* Monaſterienſis Epiſcopus, *Rudolphus* Verdenſis Epiſcopus, *Waltherus* Trojanus Epiſcopus, *Rofredus* abbas *montis Caſſini*, *Otto* Palatinus, comes Burgundie, *Albertus* comes de *Tagesburc*, Comes *Sigebertus* (c), Comes *Burkardus* de *Hohenburc*, *Bertoldus* de *Kunegesburc*, *Heinricus* advocatus de *Huneburc* (d), & *Ludewicus* frater ejus, & alii quam plures. Signum Domini *Heinrici* ſexti Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Acta ſunt haec anno MCLXXXXII, indictione decima, regnante Domino *Heinrico* ſexto Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus XXIII, Imperii vero I. Datum apud *Hagenowe*, per manum *Sigelois* Imperialis aule Prothonotharii, Vacante Cancellario, IIII nonas Marcii.

(a) *Beatrix Reinaldi III.* comitis Burgundiae filia & hoeres anno 1185. defuncta.

(b) Villa *Miltiche* juxta *Marſallum* ſita.

(c) *Sigebertus* comes de *Werda*.

(d) *Henricus* de *Hunenburg* advocatus Argentinenſis.

LIV.

Digitized by Google

LIV.

HENRICUS VI. IMP. AD REQUISITIONEM *CONRADI* EPISCOPI ARGENTINENSIS STATUIT, EPISCOPOS ET ABBATES NON POSSE INFEODARE VEL ALIENARE BONA AD COQUINAM VEL AD ALIUD OFFICIUM SPECTANTIA, NEQUE LICEAT ULLI INFRA AMBITUM PALATIJ EPISCOPALIS AEDIFICIA CONSTRUERE. Datum XIX. Aprilis M. C.LXXXXI.

Ex libro ſalico ſummi Capituli Argentinenſis fol. 6.

H*enricus* Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper auguſtus. Notum fieri volumus univerſis Imperii fidelibus preſentem paginam intuentibus, quod fideli noſtro *Conrado* argentinenſi Epiſcopo in Sentencia querente, ſi aliquis Epiſcoporum poſſit infeodare, vel alio modo alienare de hiis bonis, que pertinent ad ſuam Coquinam, vel ad aliquod officiorum ſuorum. Adjectum eſt etiam inquirendo, utrum aliquis poſſit edificia ponere infra ambitum atrii, quo palatium ejus cingitur, aſtantibus igitur plurimis principibus & magnatibus imperii, eisque conſentientibus, talis in preſencia noſtra dictata eſt ſuper hoc ſentencia, quod nullus Epiſcoporum, vel abbatum imperio pertinentium poſſit, vel debeat aliquid de bonis ad Coquinam, vel ad aliud officium ſuum pertinentibus infeodare, vel alienare. quod ſi forte aliquem Epiſcoporum, ſeu abbatam facere contigerit, talis infeodatio, ſeu alienacio a ſucceſſore Epiſcopo

Epiſcopo poteſt & debet de ratione in irritum revocari: de abbatibus idem eſt judicium. Item ſi quis in atrio palacii Epiſcoporum, vel abbatum edificaverit, ſucceſſores eorum poterunt ea pro voluntate ſua funditus extirpare. Hanc itaque Sententiam, utpote juſtam, ratam habemus, & eam imperiali auctoritate confirmamus. Datum in *Silva libertina*, anno Domini M.C.XCI, indictione nona, XIII kalendas Maii, preſentibus hiis Patriarcha aquileienſi *Godefrido*, *Philippo* Colonienſi archiepiſcopo, *Ottone* Bambergenſi Epiſcopo, *Ottone* friſingenſi Epiſcopo, *Ottone* duce Boemie, *Cunrado* Duce de *Rotenberc*, *Cunrado* Duce *Spoleti*, *Henrico* marchione de *Romersberc*, *Roberto* de *Durnei*, *Heinrico teſta* marſcalco, & aliis multis.

LV.

COELESTINI III. PP. BULLA PRO MONASTERIO MARBACENSI. Data XXI. januarij M. C. XCII.

Ex vidimus Officialis curiae Baſileenſis anni 1321. in Tabulario Epiſcopali Tabernenſi.

C*eleſtinus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis prepoſito & Canonicis Marbacenſibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quotiens a nobis petitur quod religioni & honeſtati conveniri dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & juxta petentium voluntatem apoſtoli-

cum patrocinium impertiri. ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, poſſeſſiones & bona, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis Deo propicio poteritis adipiſci, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus. Statuentes vero cum generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clauſis portis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſuppreſſaque voce divina officia celebrare. prohibemus inſuper ut nulli liceat in vos, vel eccleſiam veſtram injuſte excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare. Sepulturam praeterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut defenſorum eccleſie veſtre hoc ſucceſſione juſte habentium devotioni & extreme voluntati, ſi ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat; Salva tamen juſticia illarum eccleſiarum a quibus corpora aſſumuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Rome* apud ſanctum *Petrum*, XII, kal. februarii, Pontificatus noſtri anno primo.

LVI.

LVI.

ECCLESIAE S. *MARTINI* DE CAPELLA IN *HUNINGEN* CONFIRMATIO PER *LUTOLDUM* EPISCOPUM BASILIENSEM. Data circa an. M. C. XCII.

Ex chartulario Monaſterij S. *Albani* Baſilienſis in Bibliotheca Huberiana que *Muteti* eſt aſſervato.

In nomine ſancte & Individue Trinitatis. Ego *Lutoldus* Baſilienſis Epiſcopus omnibus fidelibus in perpetuum. Quoniam ex noſtre dignitatis auctoritate qua in Cathedra Baſilienſi divina miſeracione cure dominici gregis poſtorali ſollicitudine providere tenemur & antiquam eccleſiarum inſtitutionem in ſue dignitatis integritate conſervare proponimus & diſperſa ad unitatis honorem revocare debeamus tamen ſi qua in preſencia noſtra judiciario fine terminata fuerint & diſcuſſa in poſterum rata & inconvulſa magis eſſe volumus. Igitur dilectiſſime in Chriſto fili *T.* prepoſite S. *Albani* in *Baſilea* tuis fratrumque tuorum juſtis & honeſtis peticionibus hilarem prebentes aſſenſum Capellam de *Huningen* que eccleſie S. *Martini* in territorio S. *Albani* fundate filia eſſe cognoſcitur tibi & omnibus poſteris tuis prioribus S. *Albani* auctoritate Dei & noſtra confirmamus. Verum quia controverſia inter prepoſitum majoris eccleſie noſtre & priorem S. *Albani* pro electione in eandem Capellam ſacerdotis multociens orta eſt & in preſencia noſtra examinata Nos vero lites utriusque partis judicia-

rio atque legittimo fine decidimus ſtatuentes ut ſi quando eccleſiam S. *Martini* vacare contigerit quicunque ſacerdos a priore S. *Albani* electus & ab Epiſcopo in eadem eccleſia fuerit inveſtitus capellam eciam in *Huningen* cum omnibus pertinenciis ſuis ſine omni alicujus perſone inquietacione libere & pacifice poſſideat & in ipſa loco paſtoris populo ſuo divina miniſtret & eccleſiaſtica exhibeat officia. ſalvo tamen jure matricis eccleſie Cathedralis ac prepoſiti ejusdem, qui idcirco jus fundacionis in eadem Capella non amittit. Sed quoniam diuturnitate temporum queque notiſſima quandoque a memoria hominum elabuntur nos ad majorem veritatis caucionem & evitande deinceps diſſenſionis periculum preſentem paginam conſcribi juſſimus & ſigilli noſtri impreſſione communimus & ne quis hujus noſtre ſancionem inſtitucionis infirmare vel contra ſentire preſumat auctoritate Dei & noſtra interdicimus & ſub eccleſiaſtice cenſure & anathematis vinculo omnimodis prohibemus.

LVII.

LVII.

STATUTUM *EBERHARDI* PRAEPOSITI ET CAPITULI MAJORIS ECCLESIAE ARGENTINENSIS CIRCA DUODECIM FRUMENTI QUARTALIA *HUGONI* DE *FRIBURG* CANONICO ADJUDICATA, Datum VII. Auguſti M. C. XC. III.

Ex libro ſalico ſummi Capituli Argentinenſis fol. 8.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Eberhardus* argentinenſis Eccleſie majoris Prepoſitus. que perpetualiter ſciri deſiderantur, memorie ſcripturarum commendantur, unde eſt, quod notum eſſe volumus omnibus in *Chriſto* pie viventibus tam preſentibus, quam futuris dominum *Berchtoldum* de *Geroltesſegke* in Eccleſia noſtra Portarium XII. quartalia, quorum VI. Cuſtos, Cellarius VI. ſingulis annis dare debent, ad officium ſuum ſcilicet parte pertinere contendiſſe. *Hugo* vero confrater noſter de *friburg* pretaxata XII. quartalia ed annonam, quo ipſe fuit inbeneficiatus, que vulgariter dicitur *Wege corne*, de quibus centum viginti quartalia a Purificatione ſancte *Marie* uſque ad feſtum ſancti *Laurentii* univerſis confratribus noſtris ſingulis diebus diſtribuuntur, utpote ipſe ab antiquioribus confratribus ſuis acceperat, pertinere aſſerebat. Nos vero, cum inter eos amicabiliter componere non poſſemus, Capitulum pro litis deciſione indiximus. die inſtituta, partibus preſentibus & eorum conſenſu juxta Sentenciam Confratrum noſtrorum & absque

 dolo,

dolo, remota hinc & inde juris ſubtilitate, cujus inter hos prefatos litigantes ſupradicta XII quartalia de jure eſſe deberent, virtute obedientie indagavimus. Duo confratres de antiquioribus *Cuonradus* de *Odelbruke*, & *fridericus* de *Entringen*, cum alii ignorarent, veluti aſſeruerunt, ſepedicta XII quartalia ſub obtentu obedientie ſecundum quod ab anteceſſoribus eorum audierunt, & temporibus ſuis viderunt, ac etiam omni occaſione poſtpoſita ſcirent, annone prenominate quod uſualiter *Wigekorne* dicitur, Canonica atteſtatione adjudicaverunt. Nos itaque per Sententiam unanimem fratrum noſtrorum predicto *Hugoni* Canonico noſtro, qui annone jam dicte ſcilicet *Wigekorne* preerat, ſepedicta XII. quartalia confirmavimus, Preterea domino *Heinrico* de *Veringen*, qui & Cuſtodie & Cellarie tunc fungebatur officio, ſupradicta XII quartalia *Hugoni* predicto per Sentenciam dare precepimus. Verum ut omnis querela deinceps ſopiatur, & inconvulſum in evum permaneat, impreſſione ſigilli domini Epiſcopi *Cuonradi* eccleſie noſtre tunc preſidentis ac noſtri inſigniri & ſub anathemate corroborari fecimus. Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini MC.XCIII, VII Idus Auguſti, preſentibus me videlicet prepoſito *Eberhardo*. *fricone* decano, *Bertholdo* cantore, *Heinrico* cuſtode, *Cuonrado* de *Otelbrucke*, *alberto* de *Snekenberg*, *friderico* de *Entringen*, *Arnoldo* de *Maſche*, *Hugone* de *Altewilre*, *Hugone* de *friburg*, *Walthero* de *Otelbruke*, *Dietelmo* cognato decani, *Hermanno* de *Erenberg*.

LVIII.

LVIII.

CONRADUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS TERMINOS SYLVARUM INTER HOMINES DE MOLSHEIM, DE MUTZIG, DE URMATT ET DE VALLE HASELACENSI ASSIGNAT. Data anno M.C.XC.IV.

Ex charta autographa *Bertoldi* Epiſcopi Argentinenſis an. 1243. in tabulario oppidi Mutzingenſis. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis. C. Dei gracia argentinenſis Eccleſie humilis miniſter. quoniam inter homines noſtros de *Mollesheim* & eos de *Mutzicha* & de valle *Haſelahe* lis & diſſenſio de terminis ſilvarum ſepius exorta eſt; dignum duximus, rogatu ipſorum, bono pacis & conſilio ſeniorum & judicio prudentum virorum, certos eis aſſignare. Notum igitur eſſe volumus tam futuris quam preſentibus ſilvam illam, que ſita eſt a terminis, quibus oriuntur duo rivuli *Sulzebach* videlicet & *Eimerbach* uſque ad locum quo *Bruscham* influunt, ad ſecanda ligna combuſtibilia, preter terram cultam & prata hominum ibi inhabitancium eo jure, quo a predeceſſoribus noſtris habuerunt, hominibus noſtris de *Mollesheim* confirmaſſe. Homines vero noſtri de *Muzicha* in ſilva inter predictos rivulos nichil juris habebunt, in ſilva argowe uſque *Hohenwart* ſecabunt ligna edificiis ſuis neceſſaria, in ſuperiori parte vie *Diekersberg* virgas & ſudes ſepibus & vitibus neceſſarias, in argowe vero & in inferiori parte vie

Dickesberg idem jus habebunt homines de *Muzicha* cum hominibus de *Mollesheim*. Homines quoque de *Urematen* jus ſuum cum prediƈtis habebunt in ſolo argowes prediƈti vero homines in prediƈtis ſilvis nec ligna vendent, nec novalia preſumant facere, nec cuſtodes vel foreſtarios; niſi quos dominus Epiſcopus aut ejus vicedominus poſuerit, audebunt ponere. reliqui homines in alia ſilva noſtra ſuo jure gaudebunt. ut autem hec noſtra confirmacio caſſari non valeat, preſentem kartulam ſigillo noſtro munivimus, & nomina eorum, qui preſentes fuerunt, ſubſcripſimus, quorum hec ſunt nomina. *Fridericus* prepoſitus S. *Thome*, *Bertholdus* canonicus majoris eccleſie, vice dominus *Burcardus*, *Albertus* cuſtos Haſelacenſis eccleſie, *Burchardus* Scolaſticus, *friedericus* portarius, milites *Ludovicus* de *Huneburc*, *Bertholdus* de *Dorolvesheim*, *Waltherus* ſcultetus, *Otto* de *Hermotesheim*, *Bertoldus* frater ejus, *burchardus* de *Truchtersheim*, *Volricus* de *Scarlera*, *Rudegerus* filius *ſimonis*, *Wolfhelmus* ſcultetus de *Mollesheim*, *Volmarus*. Villarii, *Leo* de *Wege*, *Wernherus* de *Derolvesheim*, *Otto*, *Godefridus* Cellarius, *Heſſo* & alii quam plures de valle. Aƈta ſunt hec in Curia noſtra *Haſelahe*, anno ab incarnatione Domini M.C.LXXXXIIII. regnante glorioſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto *Heinrico*.

(a) Extat quoque in codice membranaceo redituum & feudorum epiſcopatus Argentinenſis an. 1345. conſcripto, in tabulario Epiſcopali Tabernenſi fol. 25. averſo.

LIX.

LIX.

CONRADUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS CONFIRMAT CONCAMBIUM INITUM INTER *GODEFRIDUM* ABBATEM NOVI CASTRI ET INTER *BILLUNGUM* PLEBANUM IN *HOCHFELDEN.* Data Anno M.C.XCIV.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis. fol. 59.

C*hunradus* Dei gracia argentinenſis epiſcopus, preſentibus & futuris omnibus ſalutem in eo, qui ſalvat ſperantes in ſe. univerſorum diſcretionem minime latere certum eſt, quod interdum tum propter pacem, tum propter utilitatem peticione ſubditorum ac conſenſu prelatorum tam inter eccleſiaſticas religioſasque perſonas, quam inter ſeculares concambia predialia fieri licet. quam ob rem etiam de peticione fratris *Godefridi* abbatis Nuwenburgenſis fratrumque ſuorum concambium quoddam, quod idem abbas ac fratres ipſi in diebus noſtris cum *billungo* plebano & eccleſia noſtra Hofeldenſe fecerunt hoc ordine ſcripti noſtri auctoritate coram memoria veſtra perpetuando roborare decrevimus. &c. &c. Sequitur dein concambium unius prati quam habebat eccleſia in *Hochfelden* juxta predictam abbatiam contra dimidium manſum, qui ſpectabat ad illam abbatiam in termino ville *Eckendorff* acta ſunt hec anno incarn. dominice M.C.LXXXXIIII. concurrente V, indictione XII. epacta XXVI. ſub papa *Celeſtino*, Imperante *H.* Dei gracia glorioſiſſimo Romano-

 rum

rum Imperatore, *Hugone* quoque fratre noſtro abbatiam *novillarenſem* amminiſtrante, coram his teſtibus *Gernodo* & *yeronimo* prioribus, *Godefrido* & *Hugone* Cellerario, *Erbone*, *Rudolfo*, *Burchardo*, *Symundo*, *Chunrado*, *Gerardo*, *Scadegarto*, *Hermanno* de *rucelnburch*, *Hugone* de *Truſenheim* militibus de *Hofelden*, *Leone* ſcolteto, *folcmaro* de *Schaffhuſen*, *Bernheimo*, *Rudegero* de *porta*, *Diemaro plenkingo*, *Rapotone*, *Reinbotone beſſone* & ceteris multis.

LX.

COELESTINUS III. PP. CONFIRMAT ET AMPLIFICAT BONA ET PRIVILEGIA ABBATIAE BAUMGARTENSIS. Data IX. februarij M. C. XCV.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſatis.

Celeſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Maximiano* abbati monaſterii ſancte *Marie* de *Bongarth* ejusque fratribus tam preſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe preſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur quod abſit, ſacre religionis enervet. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum

ſatum monaſterium ſancte Dei genitricis & virginis *Marie* de *Bongarth*, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus qui ſecundum Deum & Beati *Benedicti* regulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcunque poſſeſſiones, quecunqne bona idem monaſterium in preſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. locum ipſum, in quo prefatum monaſterinm ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, & adjacenti grangia de *Bongarth*; terram de *Cilkenberth* (a) cultam & incultam; molendinum de *Heiſco* cum vineis adjacentibus & pratis; quidquid etiam habetis in vineis, terris arabilibus, & pratis & ſilvis & ceteris rebus apud villam de *Epbekeb* (b), & in adjacentiis ejus; vineam de *Borſpercb* & de *Birkeretb*, nec non & molendinum quod fecit fieri venerabilis frater noſter *Conradus* argentinenſis Epiſcopus; terram de *Salembercb*; grangiam (d) de *Howarth* (e), terram *Tecelini* & *Humberti*, & quidquid habetis in eadem grangia, grangiam de *Aneſſeim* (f) cum omnibus pertinentiis ſuis, elemoſinam *Walfridi* de *Biſſoffbeim* (g) in vineis

vineis, terris, pratis, curiis, domibus & molendino apud *Ergeſſeym* (h) grangiam de *Baldenem* (i) cum omnibus appenditiis ſuis; grangiam de *Hanſo* (l) cum decimatione & omnibus pertinentiis ſuis; grangiam de *foſſa* (m) cum omnibus appendiciis ſuis. Uſuaria etiam nemorum & paſturas animalium ad omnes veſtros per totam terram uſus, caſtri quod dicitur *Spicemberch* (n); terras arabiles & vineas de *Tambach* (o), vineas de *Blineswilre* (p) & de *Nothebalt* (q), & de *Cella* (r). Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus & ſumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, ſive de arvis & virgultis veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere preſumat. Liceat quoque vobis clericos vel Laicos liberos & abſolutos e ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in monaſterio veſtro profeſſionem fas ſit absque abbatis ſui Licentia de eodem loco diſcedere. Diſcedentem vero absque communi litterarum cautione nullus audeat retinere, quod ſi quis forte retinere preſumpſerit, licitum ſit vobis in ipſos monachos, ſive converſos ſententiam regularem proferre. illud diſtrictius inhibentes, ne terras, ſeu quodlibet beneficium Eccleſie veſtre collatum liceat alicui perſonaliter dari, ſive alio modo alienari absque conſenſu totius Capituli, vel majoris partis & ſanioris. Si que vero donationes, vel alienationes aliter quam dictum eſt, facte fuerint, eas irritas eſſe cenſemus.

Ad

adhec etiam prohibemus, ne aliquis monachus ſive converſus ſub profeſſione veſtre domus aſtrictus ſine coſenſu & licentia abbatis & majoris partis capituli veſtri pro aliquo fide jubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra precium capituli veſtri providentia conſtitutum niſi propter manifeſtam domus veſtre utilitatem. quodſi facere preſumpſerit, non teneatur conventus pro his aliquatenus reſpondere, licitum preterea ſit vobis in cauſis propriis, ſive civilem, ſive criminalem contineant queſtionem, fratrum veſtrorum teſtimoniis uti, ne pro defectu teſtium jus veſtrum in aliquo valeat deperire. Inſuper auctoritate apoſtolica inhibemus, ne nullus Epiſcopus vel quelibet alia perſona ad ſinodos vel conventus forenſes vos ire, vel judicio ſeculari de veſtra propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat, nec ad domos veſtras cauſa ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel aliquos publicos conventus convocandi venire preſumat, nec regularem electionem abbatis veſtri impediat, aut de inſtituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra ſtatuta Ciſtercienſis ordinis ſe aliquatenus intromittat. Si vero Epiſcopus, in cujus parrochia domus veſtra fundata eſt, cum humilitate ac devotione qua convenit, requiſitus ſubſtitutum abbatem benedicere, & alia que ad officium Epiſcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum ſit eidem abbati, ſi tamen ſacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, & alia que ad officium ſuum pertinent exercere, & vobis omnia ab alio Epiſcopo percipere, que a veſtro fuerint indebite de-

ne-

negata. illud adijcientes, ut in recipiendis profeſſionibus, que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea ſint Epiſcopi forma & expreſſione contenti, que ab origine ordinis noſcitur inſtituta, ut ſcilicet abbates ipſi ſalvo ordine ſuo profiteri debeant, & contra ſtatuta ordinis ſui nullam profeſſionem facere compellantur. pro conſecrationibus vero altarium & eccleſiarum, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet Eccleſiarum ſacramento nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, ſed hec omnia gratis vobis Epiſcopus dioceſanus impendat alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antiſtitem gratiam & communionem ſacroſancte Romane ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis, quod poſtulatur, impendat, quod ſi ſedes dioceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis accipere libere & abſque contradictione poſſitis; ſic tamen ut ex hoc in poſterum propriis Episcopis nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romane ſedis, ut diximus, communionem habentem & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contingerit, ab eo benedictiones vaſorum & veſtium, conſecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate apoſtolice ſedis recipere valeatis. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum rectores in monaſteria veſtra, vel perſonas inibi conſtitutas ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint,

rint, ſive etiam in mercenarios veſtros pro eo, quod decimas non ſolvitis, vel aliqua occaſione eorum, que ab apoſtolica benignitate vobis indulta ſunt, ſeu benefactores veſtros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obſequia ex caritate preſtiterint, vel ad Laborandum juverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, eandem Sententiam protulerint, ipſam tanquam contra ſedis apoſtolicae indulta prolatam duximus irritandam, nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine ciſtercienſis ordinis & contra tenorem apoſtolicorum privilegiorum conſtiterit impetrari, paci quoque & tranquillitati veſtre paterna inpoſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. praeterea omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere; minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus

Digitized by Google

bus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire preſumpſerit, ſecundo, tertiove commonita niſi praeſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Ihesu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax domini noſtri *Ihesu Chriſti*, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia eterne pacis inveniant. amen, amen, amen. Ego *Celeſtinus* Catholice Eccleſie Epiſcopus. † ego *Albinus* Albanenſis Epiſcopus. † Ego *Octavianus*, Hoſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus. † Ego *Johannes* Preneſtinus. † Ego *Petrus* Portuenſis & ſancte *Rufine* Epiſcopus. † Ego *Pandulfus* Baſilice duodecim Apoſtolorum presbyter Cardinalis. † Ego *Melior* ſanctorum *Johannis* & *Pauli* presbyter Cardinalis titulo *Pagmachii.* † Ego *Jordanus* ſancte *Pudenciane* titulo paſtoris presbyter Cardinalis. † Ego *Johannes* Dei gratia Eccleſie ſancti *Clementis* Cardinalis presbyter. † Ego *Guido* presbyter Cardinalis ſancte *Marie* trans *Tiberim*, titulo *Calixti*. † Ego *Hugo* presbyter Cardinalis ſancti *Marci*, titulo *equitii*. † Ego *Centius* titulo ſancti *Laurentii* in *Lucina* presbyter Cardinalis. † Ego *Soffredus* titulo ſancte *Praxedis* presbyter Cardina-

dinalis. † Ego *fidantius* titulo ſancti *Marcelli* presbyter Cardinalis. † Ego *Johannes* titulo S. *Priſce* presbyter Cardinalis. † Ego *gratianus* ſanctorum *Coſme & Damiani* diaconus Cardinalis. † Ego *Gerardus* ſancti *Adriani* Diaconus Cardinalis. † Ego *Gregorius* ſancte *Marie* in *Porticu* diaconus Cardinalis. † Ego *Gregorius* ſancte *Marie* in *Aquiro* diaconus Cardinalis. † Ego *Gregorius* ſancti *Georgii* ad velum aureum diaconus Cardinalis. † Ego *Lotarius* ſanctorum *Sergii & Bachi* diaconus Cardinalis. † Ego *Nicolaus* ſancte *Marie* in via lata diaconus Cardinalis. † Ego *Gregorius* ſancti angeli diaconus Cardinalis. † Ego *Bobo*, ſancti *Theodori* diaconus Cardinalis. Datum *Laterani* per manum *Centii* ſancte *Lucie* in *Orthea* diaconi Cardinalis, Domini Pape Camerarii, V. idus februarii, indictione quarta decima, incarnationis Dominice anno MC.XCV, pontificatus Domini *Celeſtini* pape tertii anno quinto.

(a) Hodie *Climont* mons magnus ab *Urbeis* ſemileuca diſtans in diſtrictu parochiarum *Viler & bruche*.

(b) *Epfich*.

(d) *Stemberg* ſive *ſtampomont* in parochia *de Colroy* ſitus.

(e) *Hohwart* in Dynaſtia Willerienſi.

(f) *Ensheim*.

(g) vid. charta *Henrici* Argentinenſis Epiſcopi data an. 1181.

(h) *Ergersheim*. (i) *Baldenheim*. (l) *Hanf*. (m) *la foſſe*. (n) *ſpitzberg*. (o) *Dambach*. (p) *Bliensweiler*. (q) *Nothalten*. (r) *Zell*.

(r) id eſt anno 1196. cui concordant indictio & annus Pontificatus. *Coeleſtinus* enim III. PP. annum in paſchate incipiebat.

LXI.

HENRICUS VI. IMP. ET REX SICILIAE ABBATIAE NEOBURGENSIS BONA ET POSSESSIONES CONFIRMAT, EIDEMQUE JUS PASCUI ET LIGNORUM IN SACRA SYLVA CONCEDIT. Datum VIII. julij M. C. XC. VI.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. XI.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Henricus* ſextus, divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus & Rex ſicilie. Pium deſiderium, quod ad religionis propoſitum pertinere cognoſcitur, imperialem benignitatem libenti animo decet concedere & in omnibus ſuffragium & levamen preſtare. Notum ergo eſſe volumus omnibus *Chriſti* imperiique noſtri fidelibus tam futuris, quam preſentibus, quod nos Locum, qui dicitur *Nuwenburch* a *Reginoldo* comite de *Lucelenburch* & beate memorie *friderico* duce avo noſtro ordini cyſtercienſi contraditum, qui etiam hereditario jure ad nos ſpectare videtur, ob intuitum eterne retributionis, & ad ſupplicationem dilecti noſtri *Petri* ejusdem loci abbatis in protectionem & defenſionem noſtre imperialis maje-

jeſtatis &c. (*reliqua ut in diplomate Friderici I. Imp. anni* 1158.) *dein ſequitur:* firma & illibata permanere cenſemus, imperiali quoque clementia indulgentes, ut quicunque miniſterialium noſtrorum & hominum noſtrorum fiſcalinorum ſe & predia ſua ad locum ſepedictum transferre voluerit, libere & absque voluntatis noſtre conſenſu facere poſſint requiſitione. Conceſſimus etiam eidem predicto loco & in perpetuum donavimus, ut animalia eorum libere utantur paſcuis in ſacra ſilva, ovibus tantum exceptis, ligna vero ad omnium officinarum ſuarum ignem faciendum ſimiliter eis conceſſimus ad efferenda autem ligna pro domorum ſtructura de prenominata ſilva non niſi juxta conſignationem & permiſſionem miniſtri noſtri accipiant. loca autem que in preſentiarum poſſident, propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem *Geboldisbuſen* &c. &c. Curtem *Buthenheim* cum appendiciis ſuis, curtem *Rotbach* cum appendiciis ſuis, curtem *Dochindorff* cum appendiciis ſuis, curtem *Hitindorf* cum appendiciis ſuis, curtem *Dunnenheim* cum appendiciis ſuis, curtem *Adelmannswilre* cum appendiciis ſuis, curtem *Kibwilre* cum appendiciis ſuis. porro quicquid apoſtolica ciſtercienſi ordini indulſit clementia, predicto loco noſtra imperiali confirmamus auctoritate. Statuimus itaque & imperiali firmiter ſancimus edicto, ut nulla omnino perſona humilis vel alta ſecularis vel eccleſiaſtica, hanc noſtre confirmationis divalem paginam audeat infringere, vel ei auſu temerario contraire. quod ſiquis facere preſumpſerit, ſi reatum ſuum infra XL. dies congrua ſatisfactione non correxerit,

rit, banno noſtro ſe innodatum noverit & pro pena temeritatis ſue quinquaginta libras auri puriſſimi componat, medietatem camere noſtre, partem reliquam eccleſie, cui dampnum intulit. ad cujus rei certam in poſterum evidentiam preſentem inde paginam conſcribi & majeſtatis noſtre ſigillo juſſimus communiri, teſtes hujus rei ſunt, *Amedeus* biſuntinus archiepiſcopus, *Chunradus* argentinenſis epiſcopus, *Otto* comes palatinus Burgundie, *fridericus* de *Bittes*, *Albertus* comes de *Dagisburch*, *Sybertus* comes de *Werda*, *Hugo* comes de *Lucelenſtein*, *Rudpertus* de *Durna*, *Arnoldus* de *Hornberch*, *Cuno* de *Minbinberc*, *Heinricus* pincerna de *Lutra*, *Drusbardus* de *Keſtinburch*, *Heinricus* de *Kuſtirtingen*, *erbo* de *brumat*, *Heinricus* de *Danne*, *Ulricus* frater ejus, *Rudolfus* & *erbo* de *Hoveldin* & alii quam plures. ſignum domini *Heinrici* ſexti Romanorum Imperatoris invictiſſimi & Regis ſicilie. *Chuonradus* Hildinsheimenſis electus imperialis aule cancellarius vice domini *Einhardi* viennenſis archiepiſcopi & *Burgundie* archicancellarii recognovi. acta ſunt hec anno ab incarnatione Domini M.C.LXXXXVI. indictione XIIII, regnante domno *Heinrico* ſexto Romanorum Imperatoreglorioſiſſimo & rege ſicilie, anno Regni ejus XXVI, imperii V. & regni ſicilie II. datum *byſuntii* per manum ~~antedicti~~ Alberti imperialis aule prothonotarii VIII. idus julii.

LXII.

LXII.

ALBERTUS COMES DAGSBURGENSIS ABBATIAM BAUMGARTENSEM IN SUAM PROTECTIONEM SUSCIPIT ET PLURIMAS EI FACTAS DONATIONES CONFIRMAT. Data Anno M. C. XC. VII.

Ex apographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Pium credunt obſequium praeſtare Deo, qui viros religioſos ſuis intendit ſuſtentare elemoſinis & beneficiis, ut & ſuffragiis particeps mereatur eſſe regni coeleſtis. inde eſt, quod ego *Albertus* comes de *Daguesburg* notum facio omni generationi que nunc eſt, & que ventura eſt; quod ego domum de *Boumgarten* ſub mea ſuſcipio protectione, & cum ceteris poſſeſſionibus ſuis confirmo quicquid ei contulit *Willerinus* miles de *Strateborth*, cum filio ſuo majore *Burchardo*, alio nihilominus fratre Laudante, & genero ſuo *annone* vilico de *Biſchopfheim* in terris, pratis, & nemoribus & redditibus, confirmo etiam eidem eccleſie & fratribus in ipſa domo Deo ſervientibus uſuaria & paſturas ad omnia cujuslibet generis animalia, & ligna ad ignes & ad edificandum per totum bannum de *Tambaco* & de *Hohenwart* & ubicunque dominium meum extenditur; terras quoque & prata, que contulerunt eisdem fratribus *Humbertus* & *Tecelinus* de *Hohenwart*, qui *Tecelinus* ſeculo Valefaciens ad converſionem venit, & factus eſt unus ex fratribus de *Boumgarten*. Confirmo

 etiam

etiam eidem terram & prata, que dederunt *conſtantius* memorati filius *Tecelini* & *Conradus* nepos ejus, totum ſcilicet, quod habebant infra viam de *Blienswiler* & de *Andelo*; in alio etiam finagio de *Hohenwart* quam plures agros prenominati viri contulerunt. ipſam quoque grangiam de *Hohenwart* cum omnibus pertinentiis ſuis ſub mea ſuſcipiens protectione ab omni exactione liberam eſſe conſtituo, & uſuaria communia concedo; precipiens ut nulli hominum meorum, vel de hiis qui ad meam pertinent juſtitiam, liceat inde quicquam violenter auferre, ſed cum pace & tranquillitate fratres de *Boumgarten* fundum ſuum & omnes fructus, quos inde ſuſceperint, ammodo & uſque in ſempiternum libere poſſideant. Teſtes *Heinricus* abbas *alte ſilve*, *Syfridus* de *Anſeldincheim* monachus pariſienſis, *Conradus* de *Gurebaden*, *Reinboldus* & *Lambertus* milites, *Gerardus* presbyter de *Tambach*. Actum feliciter anno Dominice incarnationis MCXCVII, indictione XV.

LXIII.

LXIII.

INNOCENTIJ III. PP. BULLA AD CANONICOS CATHEDRALIS ECCLESIAE ARGENTINENSIS CIRCA PRAEBENDAM DICTAE ECCLESIAE *FRIDERICO* PRAEPOSITO S. *THOMAE* COLLATAM. Data II. Martij M.C.XC.VIII.

Ex Regiſtro Anni primi Epiſtolarum *Innocentij III.* PP. ep. 30. in Tabulario Vaticano. (a)

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Prepoſito Decano & canonicis majoris Eccleſie argentinenſis. Salutem & apoſtolicam benedictionem. Cum partes inter ſe ſuper mota quaeſtione conveniunt, vel altera renunciat quaeſtioni ad hoc ſolum exigitur officium judicis, ut quod a partibus fit, faciat inviolabiliter obſervari, ne cui contra compoſitionem, aut ceſſionem per ſe factam liceat ulterius proſilire, ſane cum dilecti filii *arnoldus* nuntius, & concanonicus veſter, & *F.* praepoſitus ſancti *Thomae* ad noſtram praeſentiam acceſſiſſent ſuper praebenda, de qua per dilectum filium *P.* titulo ſanctae *Coecilice* presbyterum cardinalem, tunc apoſtolicae ſedis legatum, idem praepoſitus fuerat inveſtitus, in noſtra & fratrum noſtrorum audientia diſceptarunt. Cumque nos auditis quae hinc inde propoſita fuerant, de communi conſilio fratrum noſtrorum ſententiam formare, ac ferre vellemus, dictus prepoſitus ad nos humiliter & devote acceſſit, & jus, ſi quod ſibi competeret, in eadem praebenda in manibus noſtris ſpontaneus reſignavit. Nos igitur Eccleſie

veſtrae volentes inpoſterum paci & tranquillitati conſulere, recepta reſignatione ipſius, ei ſuper eadem prebenda perpetuum ſilentium impoſuimus, & vos & Eccleſiam veſtram ab impetitione ipſius ſuper eam praeſentium auctoritate reddimus abſolutos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae abſolutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. ſi quis autem &c. Datum *Laterani* VI. nonas Martii, Pontificatus noſtri anno primo.

(a) Edidit *Baluzius epiſtolarum Innocentij III. PP. Tom. I. pag. 15. ſed non integram.*

LXIV.

ULRICUS DE *GOTENBURC* DONATIONES MONASTERIO PARISIENSI AB AVO ET AVIA SUA FACTAS RECENSET. &c.

Ex autographo tabularij Abbatiae Pariſienſis.

Proceſſu longi temporis memoria rerum bene geſtarum non nunquam oblivioni datur, & dum ſe falſitas veritati opponit, veniunt in contradictionem & dubietatem, quae perpetua firmitate inconvulſa manere deberent. proinde eſt quod in omnibus rebus bene geſtis, preſertim tamen in his, que ad ſalutem animarum ſpectant, ligens cautela adhibenda eſt, ſic calumniatoribus occurrere ut quod praeſens aetas bene ſtatuit, ſecutura poſteritas in irritum revocare non poſſit.

de

de cetero ego *Ulricus* de *Gotenburc*, rationis fretus conſilio, ob memoriam patris mei *Egelolfi* felicis memoriae, praeſenti paginae duxi inſerendum, quid tum ab ipſo, quam a ceteris parentibus meis *pariſienſi eccleſie* collatum dinoſcitur *Dietericus* avus meus & *Adelheidis* avia mea de *Honnach* praedium, quod *Schwodinch* dicitur, cum omni jure banni & decimarum praefatae Eccleſiae legitime contradiderunt. iſtius donationis teſtes ſunt *Egelolfus* de *Urielingen*, *Walterus* de *Horburc*, *Conradus* de *Rodere*, *Conradus* de *Girenberc*, *Conradus* de *Hadeſtat*. poſt hec pater meus *Egelolfus* dedit eidem eccleſiae pecuniam, de qua emptum eſt molendinum *columbariae* a *Conone* de *Biscowesheim*, & hoc manu tenendum commiſſum eſt *Salmannis Wernhero Marschalcho Sifrido* praefecto, *Burchardo* de *ſteinburgetor* argentinenſibus. idem de eadem pecunia emptus eſt manſus *buſen* partim de *Wolmaro* & ejus matre *Oſcwida*, partim de *Dethelmo* & uxore ejus de *Egensheim* & haec poſita ſunt in manibus *Nordewini* de *Columbaria*, *Ludewici* de *Durincheim*, *Burchardi* de *Egenheim*, *Wernheri* de *Niderbach*. Item de eadem pecunia emptum eſt, quoddam praedium *Dornoch* a *Johanne* cognomine *Rincha*, hujus praedii teſtes ſunt praedictus *Nordewinus Wernherus*, *Ludewicus* de *Durencheim* & quicquid in platea, in qua praefatum moledinum ſitum eſt, de eadem pecunia coemptum poſſident. de coetero ego *Ulricus* cunctis notum eſſe volo, ut ſicut bona parentum meorum haereditario jure poſſideo, ita & dilectionis quam eidem Eccleſie ſemper exhibuerunt, fidelis & indefeſſus haeres ſum

& ſemper ero, hoc habens ex eorundem fratrum promiſſione, ut ubicumque citra mare fatis ceſſero, ad monaſterium ſuum me deferent, & ſepulturae me tradent, & hoc ipſum uxori meae promiſſum eſt. praeterea plenum ſervitium ſicuti uni dominorum nobis debetur. De his hactenus. De caetero praedictus homo felicis memoriae *Wernherus* cupiens per omnia ſaluti ſuae ſatisfacere deſiderio ditavit praedictam eccleſiam quodam vaſe calicis non minus ſpecioſi quam pretioſi in quo ſplendor ipſius operis manifeſte declarat quam docta fuerit manus artificis. nec adhuc his contenta eſſe voluit larga voluntas teſtatoris contulit etiam vinetum, quod vulgo Laurenacker appellant, ſub tali titulo, quod ſingulis annis in ipſius anniverſario de eodem fratribus & pauperibus in aeſtimatione decem librarum feſtive ſerviatur. & ut hoc abundaciori cautela perpetuo firmum maneret, in quodam ſolemni placito quod apud *Megenheim* celebratum eſt, praeſente Duce *Bertoldo* & *Conrado* Argentinenſi epiſcopo, caeteriſque Baronibus terrae, praefatam vineam in manus *Rudolfi* Landgravii poſuit, ipſiusque fidei *eccleſiae pariſienſi* conſervandam commiſit, &, ut haec ſemper inconvulſa & inviolata permaneant, ſigilli ſui teſtimonio roboravit.

LXV.

LXV.

PHILIPPUS REX ROM. MONASTERIJ OMNIUM SANCTORUM FUNDATIONEM CONFIRMAT.

Ex autographo Abbatiae omnium ſanctorum & familiae nobilis de *Schawenburg*. (a)

Philippus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper auguſtus. Sicut ratione dictante diſcimus pravorum ſtudiis obſiſtere, ſic eadem erudimur piorum votis in cunctis ſuccurrere, qua de re plantationem divini ſervitii, quam felicis memoriae *Uta* duciſſa de *Scawenpurg* in honore omnium ſanctorum ſub patrocinio dilectiſſimi germani noſtri beatae memoriae Imperatoris *Henrici* & ſemper auguſti plantavit, ratam & inconvulſam fore precipimus, precipue ſtatuentes, ne quis ſub advocati nomine, vel ſculteti exactionem muneris vel obſequii fratribus hiis vel hominibus eorum infligat. Preterea ut pacem a clero & a ſubditis gratiam habeant, jus patronatus in Eccleſia *Nutzbach* cum omnibus ſibi attinentibus, ſicut duciſſa conſtituit, & glorioſiſſimus Imperator & ſemper auguſtus confirmavit, & nos confirmamus. Si quis autem his in aliquo contraierit, vel temere infregerit, majeſtatis noſtre vindictam diſtrictam ſuſtinebit. Data ſunt hec apud *Argentinam* V. Idus Aprilis, indictione tertia. (b)

(a) Ediderunt *Hugo in Annal. Ord. praemonſtrat. T. 2. probat. Col. CCLXXIX.* & *Schöpflinus Alſat. Diplom. T. I. p. 308.* ſed non ſatis correcte.

(b)

(a) Annus, qui deeſt, ſuppletur ex indictione, ſub *Philippo* enim Rom. Rege indictio III. incidit in annum 1200.

LXVI.

CONRADUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS CURIAM QUAMDAM JUXTA PALATIUM SUUM IN *ARGENTINA* SITUM MONASTERIO S. *FIDIS* IN *SLETSTADT* CONCEDIT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis in Palatio Argentinenſi.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Cunradus* argentinenſis Ecclesie humilis miniſter, univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam mandatis divinis religioſis domibus ac monaſteriis, unus quiſque pro modulo ſue facultatis, ſubvenire tenetur, nos quoque intuitu divine clementie noſtrorum exemplo anteceſſorum curiam quandam juxta palatium noſtrum in *argentina* ſitam ad proprietatem Eccleſie noſtre pertinentem monaſterio ſancte *fidis* in *Slecestat*, conſenſu & coniventia capituli noſtri, nec non & ceterorum fidelium noſtrorum favore ſub tali forma contradidimus, videlicet ut prefatum monaſterium nobis & ſucceſſoribus noſtris pro recognitione Domini ſingulis annis ſex denarios argentinenſis monete in feſto ſancti *Martini* perſolvat. Hanc igitur noſtre deliberationis favorabilem traditionem tam

tam noſtro, quam Capituli noſtri ſigillis communiri, fecimus; ut nullus noſtrorum ſucceſſorum hoc quacunque occaſione retractare preſumat. Teſtes autem & cooperatores hujus facti ſunt hii. *Eberhardus* major prepoſitus, *Ulricus* Decanus, *Henricus* cuſtos, *Morandus* Scolaſticus, *Burchardus* archidiaconus. *Arnoldus* de *Maſche*, *Rudolphus* ſcultetus, *Burchardus* de *Ebenheim* ſcultetus, *Hartemannus* de *Cunisberc*, *Dietmarus* ſcultetus, de *Sleceſtat*, *Hartlieb*, *Hugo*, *Dorſmannus*, cum aliis quam pluribus. factum eſt autem hoc anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo, regnante *Philippo* Romanorum Rege.

LXVII.

NOTITIA FUNDATIONIS ET BONORUM ABBATIAE SANCTI *LEONARDI*. CONSCRIPTA CIRCA ANNUM 1200.

Ex veteri Membrana tabularij Collegiatae S. *Leonardi*.

Quoniam filli hujus Seculi ſunt prudentiores filiis hujus Lucis in generatione ſua, in omnibus que agimus rectitudinis lineam ſequentes, prudenter a Domino virtutum praemoniti ſumus, ut ab hominibus, qui terrena ſapiunt, cavere debeamus. Mundus quoniam in maligno poſitus, malignitatis ſue appetitum abſque ulla re-

ve-

verentia, & jam ad ea que Regi glorie a ſuis fidelibus collata fideliter inſerviunt, extendens malis artibus mala quelibet machinatur, & in infinitum forte progrederetur, ſi non divina potentia arceretur. quod diviniſſimus *Iſaijas* conſiderans Urbane tales his verbis donavit: ova aſpidum ruperunt, & telas aranee texerunt: ab iniquis enim ova aſpidum rumpuntur, quando perverſa cogitatio ad effectum pravi operis perducitur, & tele aranearum texuntur, dum labia doloſa in corde & ore dolum loquuntur. previdentes ergo bona coram Deo & hominibus jugum ipſorum a nobis proijciamus, & doloſitati eorum, Deo adjuvante, obviare ſtudeamus, & quibus perſonis, quibusque donis hic Locus ſit ſublimatus, quibusque fidelibus certificare curemus. legitur divina providentia, ut credimus, ad ordinante, quidam *Erkenbaldus* bonae voluntatis homuncio hunc locum primus incoluit, ac capellam permiſſu *Burchardi*, ad quem areola ex jure pertinebat, beato *Leonhardo* edificavit. Sed quoniam ex toto Laicus erat, & illum ab alio Regi & inſtrui opportebat, *Burchardus*, *Megingoldo* cuidam docto, innocenti & ſimplici viro locum commendabat, qui ſancte & juſte vivendo magna inſtantia & pia ſollicitudine commendata augebat, fovebat, regebat. nam anno incarnati verbi milleſimo centeſimo nono, indictione ſecunda, Imperii monarchiam regnante *Heinrico* quarto, Imperatore auguſto, XI kalendas octobris fecit dedicari oratorium Deo & *Chriſto* ejus ſimulque ter beato *Leonhardo* ab *Hezilone* Havelbergenſi Epiſcopo, Licentia tamen a *Chunone* argentinenſis Eccle-

cleſiae Pontifice impetrata. quo die *Burchardus* ſepedictus *Cunonis* Pincerna ecclesie contulit ex proprio, tria jugera, & non poſt multum tempus viam univerſe carnis, ingreſſus octo alia ecclesie retinenda reliquit, que heredum copia in ſuum jus retraxit, ex quibus quatuor divinitus, ut credimus, inſpirati, partesque ſibi confines loco noſtro rediderunt, ſcilicet *Hugo*, *Adelbertus*, *Hadewic*, *Willebric;* a ceteris vero cetera pretio ſunt acquiſita. dedimus enim ex his, que ex fidelium donatione in Elemoſynis accepimus, *Bertholdo* uncias V. *Walfrido*, VI. *Cuonrado* uncias V, *Hirminingarde* IIII. *Herboni* autem & *Cuonrado* pro cultis & incultis agris, qui porte adjacent, exſolvimus talenta tria & dimidium; *Adelberto* quoque XIV, uncias pro duobus & pro aliis duobus XIX, uncias; *Herenzoni* cuidam IX pro uno agro, *Hugoni* nihilominus pro altero agro totidem uncias *Meginzindo* & *Lanthelino* XVI. pro quodam prato; ipſi quoque *Meginzindo* novem pro agro vinifero. Hec ipſo anno, quo oratorium dedicatum eſt propter communem & precipue ſubſequentium utilitatem famem & nuditatem multam ſuſtinentes, Deo propitio, acquiſivimus, ipſi gratias agentes ſemper in omnibus. Et hec quidem hactenus a nobis poſſidentur, que ex hac parte *Berſe* jacere videntur. Ultra vero *Berſam*, vineam in monte habemus, quam nobis dedit quidam *Reginhartus*, aliam quoque quam *Billunc*, nec non & aliam quam *Megenelindt* contulit; *Wolmarus* autem dedit ſancto *Leonhardo* in *Berſa* & in *Roſenheim* areales agros XXI. in *Berſa* curtem unam cum duobus agris vinearum & arbori-

boribus pomiferis & in *Rumelheim* VIII. jurnales, cujus videlicet *Volmari* poſſeſſiones in Banno *Berſe*, ut verbo utar ruſtico, ubicunque jacentes octo talentis in noſtrum jus abſolute traximus. Curtis vero illa, in qua molendinnm habetur, a quadam *Brunone* eo quod filiam ejus fidelibus ſociavimus, accepimus. Praeterea *Giedo*, *Hanvart* & *Cunradus* agros VI. addiderunt, *Webo* etiam frater quidam, ut vivificaret animam ſuam, ex proprio in proprietatem nobis contradidit manſum, id eſt, hubam & quartam partem hubae hereditariam: a *Godescalco* quoque ejus herede duo jugera & ſemis emimus duobus talentis: huobam & caetera que in *Valva* poſſidemus XII. talentis comparavimus. In *Hinnenheim* pro duabus huobis XV. talenta dedimus. *Rudegerus* autem quondam argentinenſis Prepoſitus manſos loco noſtro contiguos ea conditione nobis in haereditatem tradidit, ut quot annis duas Carratas vini exſolvamus, ſicque ſine ulla contradictione haereditatem noſtram haereditario jure perpetualiter poſſideamus. Ecce noſtre, imo ſanctiſſimi *Leonhardi* ad unguem adſcripte poſſeſſiones & divitiae fidelium Eleemoſynis acquiſitae. Ecce quibus noſtra ſervitus, non ut hoſtes garriunt ſaginatur, ſed utrumque ſuſtentatur. Ecce unde clerici, monachi Laici, nobiles, ignobies ſuſcipiuntur, honorantur, reficiuntur. Ecce victus & veſtitus ſervulorum, ecce acquiſitio jumentorum ecce cultus vinearum, agrorum, hortorum & quod eſt ſummum Laborum, ſumptus aedificiorum. Caeterum ſuper extrema dementia eorum, qui ſua nova & dealbata novitate morum vitam pau-

pauperum infamare & dehoneſtare non metuunt, quid dicendum quidve faciendum, niſi illud propheticum oraculum. Da eis Domine, quid dabis eis, vulvam ſine liberis, & ubera arentia, ſimulatoribus quippe ubera ſine liberis a Domino dantur, quando Dei judicio conceptus hypocriſis illorum manifeſta annullatur, ſed & ubera arentia dantur cum prava illorum doctrina veritatis Luce denudata infatuatur. Vento quoque urente S. Spiritus operante, locuſtae locuſtarum levatae in mare proyciantur, qui ſua fictione pauperes *Chriſti* de ſuis habitationibus, quas propriis manibus & a Spinis & vepribus mundaverunt, excludere nituntur. Haec autem non maledicentis vento, ſed dolentis affectu didicimus, quia Deus noſter, noſtrum refugium & virtus jubente ergo *Adelgozo* electo proviſore noſtro, *Adelberone* etiam, qui a pueritia eſt hic nutritus, veritatem rerum, ut eſt praenotata, veriſſime judicante, fidelium obtutibus iſta protulimus, ut veritati teſtimonium perhibentes, per eum quem Laudet omnis Spiritus, hic & in aeternum nobiscum ſemper bonis quae ſunt in *hieruſalem* perfrui mereamur.

LXVIII.

CONRADUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS COMPONIT DISCORDIAM INTER EUM ORTAM ET PRAEDECESSORES SUOS ATQUE *RUDOLPHUM* COMITEM HABSBURGENSEM ET EJUS PARENTES SUPER ADVOCATIA RUBEACENSI ET ALLODIO IN *THIERBACH.*

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Cuonradus* argentinenſis Eccleſie Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Notum facimus tam preſentibus quam futuris, quod Longam & antiquam diſcordiam, que multis retro temporibus inter nos ac noſtros anteceſſores & comitem *Ruodolfum* de *Habeſburc* (b), ejusque parentes fuerat, conſilio fratrum noſtrorum majoris eccleſie, hominum quoque miniſterialium & Burgenſium noſtrorum taliter ſedavimus, & perpetua pace terminavimus. Inprimis ordinatum fuit, quod prefatus comes, ejusque haeredes de cetero perpetuo debeant eſſe liberi homines & abſoluti, & expediti ad ſervicium epiſcopatus contra omnem hominem viventem. Epiſcopus quoque argentinenſis ei & haeredibus ſuis tanquam liberis & abſolutis hominibus fidem tenere debet, & quia prelibatus comes ſe taliter epiſcopatui obligavit, penſato quoque fideli ac magno ſervicio, quod nobis exhibuit, & de cetero cum ſuis haeredi-

redibus exhibere promittit, in multis ei condeſcendimus, de quibus antea contentio fuerat, ſtatuimus ſiquidem, quod ubicunque Epiſcopatus ſeu comes predictus homines, vel bona in curiam Rubiacenſem pertinentia libere ad manum ſuam habeant, vel poſthac liberata conquirant, & nominatim villam *Gebelicheswilre* (c) in eis Epiſcopus ſolus peticionem ſuam habeat, & jam dicto comiti, vel ejus nuntio, de omnibus que dabuntur, terciam partem (d) aſſignet, & ipſe comes ſi ab Epiſcopo requiſitus fuerit, cum ſuis militibus & hominibus in ipſa peticione facienda epiſcopo auxiliari debeat; cauſas vero & juſtitiam, quam ipſe comes pro advocatia Rubiacenſi, quam ab Epiſcopo tenet, exercere debet, ſecundum morem & juſtitiam argentinenſis civitatis procurare debet. In predicta quoque advocatia jam dictus comes nullo tempore hoſpicia recipere debet, niſi cum ab Epiſcopo ad ſervitium Epiſcopatus invitatus fuerit. Allodium de *Theirynbach* (e), in quo edificata eſt domus jam dictus Epiſcopatui liberum demiſit, & quantum in nobis eſt allodium, quod cambiverat cum ipſo predicto allodio, ipſe comes liberum habeat, nec a nobis ſuper hoc impediri debet. Ut autem hec noſtra & comitis conventio, noſtrorum ac ſuorum fidelium conſilio peracta, robur optineat perpetuum, tam noſtro quam capituli noſtri, atque burgenſium noſtrorum munimine ſigillorum (f) ex parte noſtra corroborari fecimus. fidelis quoque noſter comes *Ruodolfus* proprio ſigillo ſtabiliri precepit. Acta ſunt hec in aula Epiſcopali *argentinae* feliciter, anno verbi incarnati milleſimo du-

centeſimo primo, indictione quarta. Teſtes Canonici majoris Eccleſiae, *Volricus* Decanus, *Fridericus* Cantor. *Morandus* Scholaſticus, *Heinricus* cuſtos, *Albertus*, *Cuonradus*, *Bertholdus*, *Cuonradus*, Chori Epiſcopi, *Heidenricus*, *Diethelmus* presbyteri, *Arnoldus* diaconus, *Otto*, *Walterus*, *Arnoldus*, *Luodewicus*, *Hermannus*, *Volricus*, *Beringerius* ſubdiaconi. De miniſterialibus *Walterus* & *Rudolfus* cauſidicus frater ejus, *Burchardus* puer, *Burchardus* de *Steniburgedor* (g), *Debeodericus Staebelinus*, *Albertus Begero*, *Guntherus*, *Burchardus* burggravius, *Debeodericus* frater ejus, *Ebhardus* filius *Walteri*, *Sigefridus* de *Ouſwilre*. De Burgenſibus *Burchardus* juvenis, *fridericus* diſpenſator, *Herbo* et *Wernherus*, Judices. *Rudolfus Mannelin*, *Algod*, *Burchardus Kypelin*, *Petrus Reinbolt Virnecborn*, *Wernherus Vitulus*, *Hobpertus de Spira*, *Joannes Reizero*, *Orthleb*, *Heinricus Lebelin Fridericus Hiſynmanger*, *Sigefridus Thelonus*, *Ulricus Horebarth*, *Cuono* filius *Dennari Ruodolfus Wavirſcarus*.

(a) *Schöpfflinus* hanc chartam non bene refert ad an. 1200. vid. *Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 309.* ubi varia reperies emendanda.

(b) *Rudolphus* cognomento placidus, filius *Adelberti* comitis Habsburgenſis & *itae* commitiſſae de *Phullendorff*.

(c) *Gebersweiler* vicus Mundati ſuperioris.

(d) vulgo *die bethe.*

(e) *Thiersbach.*

(f) Pendent in autographo quatuor ſigilla *1. Cuonradi* Epiſcopi. *2.* Capituli Argentinenſis. *3.* Civitatis Ar-

Argentinenſis & 4. *Rudolphi* comitis de *Habeſburch.*

(g) Nobilis familia Alſatica hodie extincta dicta de *ſteinburgthor* ſive de *lapidea porta.*

LXIX.

CONRADUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS MARBACENSI ECCLESIAE CENSUS, QUOS ILLA IN CURTE DOMINICALI RUBEACENSI DEBEAT, REMITTIT ET CONCEDIT.

Ex autographo Tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego C. Dei gratia argentinenſis Epiſcopus cunctis *Chriſti* fidelibus in perpetuum. Tam preſentes quam poſteros ſcire volumus, quod nos cenſus quos habebat curtis noſtra dominicalis Rubiacenſis ex quibusdam redditibus, quos debebat MarbacenſisEccleſia ex duabus curtibus *Rubiaci* ſitis, & una *Weſthalden*, qui ſimul computati fuerant ad XXX. ſolidos ſex denariis minus pro ſalute anime noſtre & omnium anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum Epiſcoporum argentinenſium Marbacenſi Eccleſiae perpetua donatione contulimus. Hoc autem in forma donationis expreſſimus, ut dies anniverſarii obitus noſtri cum aliqua lautiori refectione canonicorum ſingulis annis in predicta Eccleſia celebretur. Volentes igitur hanc noſtram donationem ratam eſſe & ſtabilem in futurum, interro-

gavimus per fidelitatem a miniſterialibus argentinenſis Eccleſie, ſi licet nobis de rebus Eccleſiae noſtrae in anniverſario noſtro aliquam eleemoſynam providere. Ipſi vero fideles Eccleſie adjurati dixerunt per ſententiam bene licere nobis pro remedio anime noſtre de rebus argentinenſis Eccleſiis ad ipſam ſpectantibus, & in aliis aliqua conferre, maxime cum conſtaret omnibus nos ipſum Epiſcopatum in multis ampliaſſe. Nos igitur predicte innitentes ſententie predictam donationem de conſenſu & conſilio miniſterialium noſtrorum factam ratam habere volumus, ipſamque ſigilli noſtri teſtimonio confirmamus. Acta ſunt hec publice apud *Rubiacum* anno Dominice Incarnationis MCCI.

LXX.

DECANUS ET CAPITULUM ARGENTINENSIS ECCLESIAE DECIMAS IN *HARTHAUSEN PETRO* ABBATI NEOBURGENSI ET EJUS ABBATIAE IN SYNODO ADJUDICANT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis. fol. 41. b. (a)

Ulricus Dei gratia argentinenſis Decanus, totumque Capitulum univerſis *Chriſti* fidelibus tam preſentibus, quam futuris hanc certam inſpicientibus pacem & ſalutem in Domino vero ſalutari. Quoniam ea, que ſcripturis autenticis inſerun-

ſeruntur, diſtinctius & veracius ad poſteros transmittuntur, quam ea, quae ſucceſſiva diverſarum, perſonarum ambigua narratione rei geſtae ſeriem deformando proferuntur, cautum & perutile cenſuimus ſcriptis commendare, quod *Walterus* puer *Walteri* quondam ſcolteti, poſtquam decimam quandam in *Bazendorf* (b) jure feodali obtinuerat, ſuggeſtione quorundam terrena ſapientum venerabilem *Petrum* abbatem de *Nuwenburcb*, & ipſum collegium ſuper decima curie, que *Harthuſen* (c) dicitur, pulſavit, atque in cauſam coram domino *Chunrado* venerabili argentinenſe Epiſcopo traxit, aſſerens ipſam curiam cum ſuis poſſeſſionibus in parrochia *Berſtein* (d) a principio conſtitutam, & exinde ſicut ceteros vicinas poſſeſſiones parrochie *Berſtein* decimalem fore. e contrario autem abbas & Collegium conſtanter aſtruebant, ſe nunquam alicui decimam de jam dicta curia dediſſe, immo ab exordio inſtaurationis ipſius liberam & exemtam ab omni jure parrochiali fuiſſe, tum propter privilegia Romanorum Pontificum, tum propter quandam curialem Capellam, que in ipſo predio fuit conſtructa, ad quam decime predicte ſpectabant, que videlicet Capella vetuſtate conſumpta corruiſſe dinoſcitur; mox ut ipſa poſſeſſio per manum comitiſſe *Yde* & filii ipſius comitis *Reinboldi* petitione domini *Ulrici* primi abbatis *Nubenburc* monaſterio & fratribus ibidem Deo & beate *Marie* regulariter famulantibus eſt collata, non obſtante eo quod quidam venerabilis ſacerdos *Hartmannus* nomine ſepedictum predium cum univerſis appendiciis ſuis beate *Marie* & Ecclesie

cleſie argentinenſi obtulerat, comite *Petro* de *Lucelenburch*, & heredibus presbiteri reclamantibus atque piam intentionem & votum impedientibus. Enim vero pro bono pacis & concordie, atque nove religionis favore, prudentum conſilio, bonorumque virorum arbitrio in hunc modum ſollempniter & publice in Synodo argentinenſi ſedata dinoſcitur controverſia, videlicet quod monaſterium *Nuwenburch* decano & eccleſie argentinenſi ſingulis annis in octava Epiphanie perſolvat V. ſolidos publice monete in recognitionem ſue libere poſſeſſionis per canonicos diſtribunendos, uti & ipſi canonici, quod ligitime peractum dinoſcitur, in perpetuum debeant atteſtari. Igitur poſt aliquantulam litigationem predictus *Walterus* rei veritatem perfectius cognoſcens, ſpiritu quoque inſpiratus ſalutari, coram univerſa argentinenſi Eccleſia & miniſterialibus publice una cum filio ſuo *Eberhardo* abbatem & monaſterium ab omni inquietatione ſuper decimatione *Harthuſen* in perpetuum liberum dimiſit, & ab injuſta vexatione penitus ceſſavit, dicens ſe nunquam voluiſſe male partis rebus & injuſtis querimoniis poſteros ſuos heredare, Igitur ut hec carta robur habeat & vigorem, eam ſigillo capituli noſtri & ipſius *Walteri* appenſione decrevimus muniendam. Acta ſunt hec in Synodo argentinenſi, anno Dominicae Incarnationis MCCI, indictione quarta, venerabilis *Chunradi* argentinenſis Epiſcopi preſulatus tempore, teſtes *Eberhardus* major prepoſitus, *fridericus* Cantor, *Morandus* Scolaſticus *Chunradus* de *Ulenbruche Chunradus* de *Gundelvinden*, *Burchardus* de *Lupfe*,

Lupſe, *Pertholdus*, *Albertus* archidiaconi, *Heinricus* cuſtos. Miniſteriales; *Wernberus* Marſchalcus, *Rudolfus* Scoltetus, *Albertus* vicedominus, *Burthardus* prefectus & alii quam plures.

(a) Edidit *Schöpflinus Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 310.* ſed non ſine mendis.

(b) *Batzendorff* prope *Berſtheim* a cujus dependet parochia, in praefectura Hagenoenſi.

(c) *Harthauſen* villula ab *Hagenoa* diſtans leuca.

(d) *Berſtheim.* vid. not. b.

(e) vid. chartae ad annos 1105 & 1130.

(f) Similem fere chartam & ejusdem materiae quae habetur in Chartulario dictae Abbatiae fol. 42. dedit an. 1201. *Conradus* Argentinenſis Epiſcopus, eamque repetit ad. an. 1209. *Henricus* Argentinenſis Epiſcopus. Terminatur *Conradi* charta; = Acta ſunt haec in aula noſtra Argentinenſi an. Dom. Incarn. M.CC.I. Indictione IIII. Teſtes *Ulricus* Majoris Eccleſie Decanus, *Fridericus* Cantor, *Morandus* Scolaſticus, *Chunradus* de *Udelenbruke*, *Chunradus* de *Gundelvingen*, *Bertholdus* de *Lupſe*, *Heinricus* cuſtos, *Albertus* Archidiaconi, Miniſteriales, *Wernberus* Marſcalcus, *Rudolfus* Scoltetus, *Albertus* vice Dominus, *Burchardus* prefectus & alij quam plures = altera quoque huc referenda eſt charta qua an. 1202. ego *Albertus* divina providentia Argentinenſis eccleſie Prepoſitus, *Everhardus* Decanus, *Fridericus* Cantor, *Morandus* Scolaſticus teſtantur, quod *Bertholdus* plebanus in *Berſtein* . . . in facie tocius Capituli noſtri declaravit, quod nihil omnino juris in decimis curie *Harthuſen* ad *Nuwenburch* pertinentibus haberet. Unde diffinitum eſt per ſententiam Eccleſie, Abbatem & monaſterium ab omni inquietatione ſepe dicti *B.* plebani de

Berſtein omniumque ſucceſſorum ipſius in perpetuum debere liberum permanere. Acta ſunt hec anno Incar. Dom. M. CC. II. epacta XXV, Indict. V. Concurr. I. in preſencia Domini *Chunradi* venerabilis Argentinen. Eccleſie Epiſcopi & prelatorum ejusdem eccleſie. Litteras refert chartularium fol. 43. b.

LXXI.

CONSTITUTIO *HENRICI* ARGENTINENSIS ECCLESIAE PREPOSITI CIRCA MENSURAM IN *LAMPERTHEIM WERNHERO KALB* ET *CONRADO* EJUS FILIO LOCATAM.

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis. fol. 27.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Heinricus* Dei gratia argentinenſis Eccleſie major praepoſitus. Univerſis *Chriſti* fidelibus, ad quos haec pagina pervenerit, in Domino *Jeſu Chriſto* eternam ſalutem. Quia diuturnitas temporum ſemper oblivionem inducit, oblivio quidem diſcordiam facit, diſcordia litem parit, merito literarum ſeries recordationis miniſtra inter ponitur, ne forte communi utilitate ſtatuta ſcrupulo dubietatis turbentur. Placuit itaque capitulo noſtre Univerſitatis peticioni *Wernheri Vituli*, & *Conradi* filii ejus miniſtrorum noſtrorum in menſurna *) noſtra, que dicitur de *Lampertheim*, taliter acquieſcere, ut ita dicti *W.* & *C.* officiales noſtri qui prefatam

*) Praedium cum certa agrorum quantitate.

fatam menſurnam ita diu a nobis ad certos annos miniſtrandam receperant, uſque ad tempus vitae ipſorum habeant, & ad utilitatem eccleſiae, ac ſuam diligentiam colant, ac prebendas fideliter adminiſtrent. Uno itaque ipſorum decedente, alter, quoad vixerit, ſimili jure habeat, & poſt mortem utriusque libere absque ſuorum heredum impedimento, ſive contradictione cum omni aedificiorum, culturarum ac fructuum integritate ad noſtram fraternitatem menſurna redeat, ita tamen, quod animalia predicti officialis ultimi, que pro colenda menſurna habuerit, ipſius heredes accipiant. Cetera vero ad utilitatem eccleſie, vel ſequentis menſurnarii omnino accedant. Preterea ſi ultimus predictorum officialium ante feſtum ſancti *Johannis Baptiſte*, adminiſtratione anni illius nondum finita, deceſſerit, heredes ipſius uſque ad idem feſtum perfecte colant, & debita menſurne recipiant; prebendas autem uſque ad ſequens feſtum S. *Laurentii* plenarie adminiſtrent. Capitulum namque, vel menſurnarius ſequens a jam dicto S. *Johannis* feſto ulterius neceſſariam culturam exſolvat, & cenſus, omnemque utilitatem menſurne percipiat. Si vero in ipſorum adminiſtracione majorem rerum defectus fuerit, panis videlicet & carnium & piſcium, & pro ipſorum defectu coram Decano, vel fratribus ab aliquo dominorum querimonia mota fuerit, predicti miniſtri ſecundum juſtitiam, vel gratiam capituli & conquerentis ipſum defectum infra ſeptem dies ſupplebunt, vel infra monaſterii ambitum, clauſtri ejusque officinarum uſque ad ſatisfactionem permanebunt; Reliquarum autem

autem rerum defectum infra quatuordecim dies ſimiliter emendabunt, vel infra monaſterium, clauſtrum ejusque officinas incluſi remanebunt. Verum ſi pro aliquo defectu infra ſepta monaſterii, clauſtri & officinarum ultra quatuordecim dies duxerint immorandum, & jam dictum defectum neglexerint corrigendum, cuilibet fratrum liceat pretaxatos miniſtros, ſicut jus eſt menſurne, de ipſa impetere, ita tamen, quod menſurna abjudicata nihil ominus debeatur colere, & uſque ad proximum S. *Laurentii* feſtum prebendas ex integro adminiſtrare. In adminiſtracione ergo prebende nullum defectum canonici debent ſuſtinere pro aliqua rerum caritate. Si tamen res venales reperiantur, nec illud eis debet nocere, ſi forte per ipſorum officialium, eorumque amicorum culpa vel negligentia ſeu inimicitia in bonis menſurne dampnum ſuſtinuerint. Si vero tempeſtate, vel pro communi guerra, ſive communi incendio in ipſa menſurna dampnificati fuerint, pro qualitate dampni capitulum eis procuret ſecundum hoc quod fratribus menſurnariis in caſibus ſimilibus parendum decreverit. Sane ſi aliqua Eccleſia pertinens ad menſurnam vacaverit, excepta capella de *Scerzewilre*, quam ad uſum menſurne ſervare ac dimittere debent, prenominatis miniſtris liceat in ipſa Eccleſia ydoneum clericum eligere, atque majori Prepoſito ad inveſtiendum praeſentare, deinde archidiacono pro altaris cura recipienda offerre, nec ipſi eorum rationabilem electionem debent impedire. Offeia quoque, ſi vacaverint, prelibati miniſtri ad utilitatem menſurne ac ſuam libere conferant.

ferant. Beneficia vero ſi forte nunc vacant, vel vacare contigerit, in quibus heredes defunctorum nullum jus ſuccedendi habeant, menſurne reſerventur, nec prepoſitus, ſive miniſtri predicti alicui conferre valeant. Sed ſi hereditario jure ad heredes decedentium debeant pervenire, a manu Prepoſiti absque damno clauſtri heredes recipiant. Decedentibus autem prefatis *W.* & *C.* conceſſiones Eccleſiarum & beneficiorum ad ſequentes menſurnarios illibate redeant. recitata ergo & expoſita hujus ſcripti ſerie pro nominatis *W.* & *C.*, quam etiam *Walterus* plebanus de *Wange*, & *Wernherus* plebanus de *Lampertheim* filii cjusdem *W.* intellexerint, predicti omnes quatuor *Wernherus* pater eorum & *Conradus*, atque *Walterus* & *Wernherus* fratres, juramento corporali praeſtito, juraverunt prefatam conventionem omnimodis obſervare, atque predicto etiam pro defectu adminiſtrationis infra monaſterii clauſtri & officinarum ambitum communiter permanere. Si vero aliquem predictorum quatuor decedere contigerit, reliqui aliam perſonam capitulo acceptabilem ſub eadem obligatione aſſignabunt. Acta ſunt haec in capitulo argentinenſi, anno Dominice incarnationis MCCII, indictione V. auctoritate noſtra & preſentia & *Eberhardi* Decani, *Alberti* cuſtodis, *friderici* cantoris, *Morandi* Scolaſtici, *Arnoldi* portarii, *Bertholdi* & *Rudolfi* menſurnariorum, *Cunradi*, Choriepiſcopi, *Heindenrici* & *Diethelmi* presbiterorum, *Arnoldi*, *Burchardi*, *Ludewici*, *hermanni*, *Ulrici*, *Reinhardi* ſubdiaconorum, preſidente ſancte Romane ſedi domino *Innocentio* III, an-

no

no pontificatus ipſius quinto, ſub antiſtite noſtro domino *Cunrado*, anno Epiſcopatus ipſius XII. ut autem hec noſtra conventio firma & illibata ſervetur, preſentem paginam ſcribi, ac domini noſtri Epiſcopi atque capituli ſigillis fecimus corroborari. Data *argentine* pridie kalendas Junij.

LXXII.

CONRADUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT DONATIONEM MONASTERIO *SCHWARTZENDAN* A COLLEGIATA LAUTENBACENSI FACTAM.

Ex vidimus officialis curiae Baſileenſis an. 1489. in tabulario Epiſcopali Tabernis Alſaticis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Conradus* Dei miſericordia argentinenſis Eccleſie miniſter humilis, tam preſentibus quam futuris hujus rei notitiam. Quia mutatione temporum, & deceſſione perſonarum debilis hominum memoria frequenter evaneſcere ſolet, ad cautelam pertinere videtur, ut ea, quorum notitiam volumus ad poſteros dirigere, majoris cauſa certitudinis in ſcriptum redigere, ſtudeamus. Hujus itaque racionis intuitu preſentes & poſteros ſcire volumus, quod Dominus *Heinricus* prepoſitus, & *Geroldus* Decanus, totumque Lutembacenſe capitulum clauſtro *Schwartzendan* omnes decimas fructuum & decimas animalium provenientium inter duas vias, que jam dicti clauſtri poſicionem intra ſe claudunt,

&

& decimas animalium hortorum, arborum, que ſunt, vel eſſe poterunt in curte *Zerzendal* pro dimidia marca conceſſerint, in feſto ſancti *Martini* annualiter perſolvenda, ut autem iſta firma & illibata permaneant, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione confirmamus, & ſigillum argentinenſis Eccleſie cum ſigillo chori Lutembacenſis apponi volumus. acta ſunt hec publice apud *Rubiacum* anno Dominice Incarnationis M. CC. II. Huic facto teſtimonium perhibent *fridericus* cantor argentinenſis Eccleſie, *Albertus* de *Zabernia* Capellanus Epiſcopi, *Hermannus* Clericus, Plebanus Rubiacenſis *Albero*, *Baldemarus* plebanus de *Sulze*, *fridericus* Prepoſitus Marbacenſis, *Gotfridus* prior de *Swarcendan*, *Burchardus* de *ſteinbach*, *Rudolfus* Camerarius, *Rudolffus* Colonienſis, *Ulricus* de *Loven*, *Ruodolfus* ſcultetus & frater ejus *Waltherus*, *Burchardus* Burggravius, *Herterus*, *Albertus* vicedominus, *Albertus* villicus de *Lambarteim* *Conradus* villicus de *Riburg* & alii multi.

LXXIII.

INNOCENTIUS III. PP. *GERUNGO* PRAEPOSITO BONA ET PRIVILEGIA MONASTERIJ OMNIUM SANCTORUM IN NIGRA SYLVA CONFIRMAT.

Ex autographo Abbatiae omnium ſanctorum. (a)

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Gerungo* Prepoſito eccleſie *omnium ſan-*

ſanctorum in nigra ſylva, ejusque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioſum fuerit ac honeſtum, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatam eccleſiam omnium ſanctorum, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes ut ordo Canonicus, qui ſecundum Domini & beati *Auguſtini* regulam atque inſtitutionem premonſtratenſium fratrum in eodem loco inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, Largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. locum ipſum, in quo prefata eccleſia ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis: manſum de *Rincum*, manſum de *Haſelbach*, nemus quoddam in *Elisweiler* ad plantandam vineam a termino *Henrici* uſque ad terminos *Erpherad.* Item in palude duos manſos ſine cenſu & quartam partem piſcationis in *Buſtric* a bone memorie *Welfone* Duce & *Uta* uxore ipſius Duciſſa de *Scowenburg* *Hugone* Duce de *Ulemburch*, & nobili viro *Bertoldo* Duce de

de *Zabringen* fundatoribus loci ejusdem eccleſie veſtre pia liberalitate conceſſa, & ab *Heinrico* Imperatore poſtmodum confirmata. Item jugera terrarum & curtes in *Appenwilre*, & in *Uſboltz*, que dederunt *Cunradus Veſeman*, *Heinricus Gertinc* & *Cunradus Meſterlin*, predium vero in *Griſeborn* quod bone memorie *Cunradus* argentinenſis Epiſcopus Eccleſie veſtre pietatis intuitu contulerunt, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis & paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Sane novalium veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. &c. &c. &c. Ego *Innocentius* Catholicae eccleſiae Epiſcopus, Ego *Joannes* Albanenſis Epiſcopus. Ego *Hugo* presbyter Cardinalis ſancti *Martini* titulo *Equitii*. Ego *Joannes* titulo ſancti *Stephani* in *Coelio Monte* presbyter Cardinalis. Ego *Joannes* titulo S. *Priſce* presbyter Cardinalis. Ego *Cencius* ſanctorum *Joannis* & *Pauli* presbyter cardinalis, titulo *pamachii*. Ego *Gregorius* titulo ſancti *Vitalis* presbyter Cardinalis. Ego *Leo* titulo S. *Crucis in Jeruſalem* presbyter Cardinalis. Ego *gratianus* ſanctorum *Coſme* & *Damiani* Diaconus Cardinalis. Ego *Gerardus* ſancti *Adriani* diaconus Cardinalis. Ego *Gregorius* ſancti *Georgii* ad *Velum aureum* diaconus Cardinalis. Ego *Joannes* in *Coſmedin* diaconus Cardinalis. Datum *Anagnie* per manum *Joannis* ſanctae Romanae Eccleſiae ſubdiaconi & notarii, nonis februarii,

indictione ſeptima, incarnationis Dominice anno MCC.III. Pontificatus vero Domini *Innocentii* Pape tertii, anno ſexto.

(a) Hanc bullam edidit *Petrus in ſuevia Eccleſ. p. 653.* ſed non emendatam & mutilam.

LXXIV.

ALBERTUS PRAEPOSITUS ECCLESIAE MAJORIS ARGENTINENSIS VICE *HENRICI* ELECTI TERMINAT LITEM INTER PRAEPOSITUM S. *FIDIS* IN *SELESTADT* ET PLEBANUM EJUSDEM OPPIDI CIRCA SEPULTURAS MORTUORUM.

Ex veteri apographo membranaceo Palatij Argentinenſis.

A*lbertus* Dei gratia argentinenſis Eccleſie major Prepoſitus. Notum eſſe volumus hominibus & toti populo de *Sclezeſtat* tam preſenti quam futuro, quod veniens ad noſtram & Capituli argentinenſis Eccleſie preſentiam venerabilis Prepoſitus de *Scleceſtat Pontius* de *auriaco*, & *Egelolfus* ſacerdos ejusdem ville cauſam Controverſie que inter eos vertebatur, videlicet ſuper ſepulturis mortuorum nobis expoſuerunt. Nos vero magis pro bono pacis decrevimus Litem amica compoſitione ſobire, quam juſtitiali ſententia decidere. Auctoritate ergo Domini noſtri argentinenſis electi, *Heinrici* cujus vice fugimur conſilio Decani,

cani, totiusque majoris Eccleſie argentinenſis Capituli in hac forma pacem inter ipſos reformavimus, utroque compromittente, quod noſtre ordinationi per omnia ſtaret, que talis eſt ſacerdos ſe non opponet ſepulture. — a Domino *Ottone* felicis memorie argentinenſis Eccleſie Epiſcopo, & a *Paſchali* ſancte Romane ſedis ſummo Pontifice privilegiate, videlicet quod prepoſito & fratribus ſuis liceat recipere quoslibet homines non ſolum de villa *Steciſtat*, ſed de toto Epiſcopatu argentinenſi, cupientes ſibi eligere ibidem ſepulturam. Si autem aliquis de parochianis prefati ſacerdotis ſibi elegerit in monaſterio ſepulturam, ſacerdos ejus confeſſionem audeat, vel ſuus vicarius, & viaticum ei adminiſtrabit. quod ſi infirmus copiam ſui ſacerdotis vel vicarii habere non poterit, Prepoſitus & fratres ſui ipſum nihilominus recipient, & ei ſpiritualia, tam in audienda confeſſione, quam in dando viatico miniſtrabunt. Si vero infirmus copiam ſacerdotis vel ſui vicarii habens ei confiteri, vel ab ipſo viaticum recipere, dummodo ſane mentis ſit, noluerit Prepoſitus & fratres ſui eum non recipient. Si autem ſacerdos contra predictas determinationes infirmo votum ſepulture impedire voluerit, Prepoſitus & fratres ſui infirmum nihilominus ſuſcipient, & ei exequias exhibebunt. ad hec conſtituimus, ut ſi quis in monaſterio ſibi elegerit ſepulturam, ſi amici ejus voluerint, corpus ad parrochianam Eccleſiam deportetur, ibi miſſa pro defunctis celebretur, & hoc prepoſitus non prohibebit, & poſt peracta miſſarum ſollempnia corpus ſepeliendum ad monaſterium — inferatur,

tur, ſimiliter qui apud parrochinam Eccleſiam ſepeliri voluerint, ſi amici eorum conſenſerint, ad monaſterium deportentur, ut pro eis miſſa celebretur, nec hoc ſacerdos prohibeat, & inde ad Parochianam Eccleſiam referantur. Preterea decrevimus, ut ſi quis a ſacerdote nominatim excommunicatus fuerit & per ipſum ſacerdotem prepoſito pronuntiatus fuerit, Prepoſitus a Sacramentis & a Liminibus Eccleſie ipſum arcebit.

H. Dei gratia argentinenſis miniſter humilis, plebano totique populo de *Sleceſtat* ſalutem & omne donum. Veridica relatione didicimus, cum olim inter Domn. *Egelolfum* ſacerdotem veſtrum & fratres monaſterii ſancte *fidis* ſuper quibusdam negotiis ut ex eorum Litteris plenius datur intelligi dudum agitaretur ipſam litem per Dominum *Albertum* argentinenſem prepoſitum ex conſilio Decani & aliorum confratrum noſtrorum majoris Eccleſie utriusque partis aſſenſu ſopitam & amicabiliter terminatam fuiſſe, Hec quoque in ſcriptis redacta ſigillis ſuis communierunt. Hanc igitur compoſitionem a tantis viris approbatam & eſſe rationabilis videatur ratam omnimodis eſſe decernimus, ipſamque a vobis obſervandam denuntiamus, ac firmiter teneri precipimus.

LXXV.

LXXV.

CHARTA *GERHARDI* ABBATIS NEO VILLARIENSIS DE QUODAM MANSO MONASTERIJ NEOBURGENSIS IN *WILSHAUSEN*.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Novi Caſtri fol. 58.

In Nomine ſancte & individue Trinitatis, ego *Gerbardus* divina diſponente gracia abbas *novillerii*, tam preſentibus quam futuris in perpetuum, quum ea, que plerumque inter mortales juſte & ſollemniter aguntur non ſcriptis commendentur, per ſucceſſivam perſonam alterationem oblivioni perpetue traduntur, neceſſarium duximus Litteris declarare, quod fratres de *Nuwenburch* quendam dimidium manſum in quinque denariis publice monete cenſualem eccleſie *bovelden* in loco quodam *Geboltesbuſen* nominato, terra valde ſabuloſa & ſatis ſterili, habuerunt, quem cenſum *Wernberus* cognomento *Krieg* & frater ejus *fridericus* in feodo tenuerunt inter alia beneficia & feoda, que a monaſterio novillarienſi & predeceſſoribus noſtris abbatibus jure feodali dinoſcuntur poſſediſſe. &c. &c. &c. Acta ſunt hec anno incarn. Dom. M.CC.IIII. indictione VII. epacta XVII. concurrente IIII. in villa *bobvelden* ſollempniter in praeſentia noſtra & multitudine magna tam militarium quam popularium - - - ego quoque *fridericus* tunc temporis prior *novillerii* cum ceteris confratribus meis huic privilegio teſtimonium noſtre voluntatis perhibentes nomina noſtra decrevimus aſſcriben-

da, que ſunt hec, *hermannus* cuſtos, *Burchardus* cellerarius, *jacobus* cantor *fridericus* Camerarius.

LXXVI.

PHILIPPUS REX ROM. DE CONSTRUCTA SUPER RUPE *WINSTEIN* DOMO A *PETRO* ABBATE NOVI CASTRI.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 13. b.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Philippus* ſecundus, divina favente clementia Romanorum Rex & ſemper auguſtus. Notum fieri cupimus tam preſentibus quam futuris, quod *Heinricus* de *Winſtein* noſter miniſterialis, una cum filiis ſuis *Heinrico* & *friderico*, aream ſub rupe *Winſtein* cum univerſis appendiciis ſuis, in qua dilectus noſter *petrus* abbas *novi Caſtri* ſumptibus monaſterii ſui domum ad evitandas hoſtium incurſiones & rerum ipſius monaſterii conſervationem edificaſſe dinoſcitur, in manus noſtras reſignavit, quam ſicut & ipſum caſtrum a progenitoribus noſtris & nobis jure tenuit feodali. igitur ne quis heredum ipſius, vel ſucceſſorum, aut quevis omnino perſona monaſterio *Nuwenburg* & fratribus ibidem Deo famulantibus aliquam inpoſterum violentiam ſuper prelibata domo poſſit irrogare, hanc regie majeſtatis noſtre paginam duximus conſcribendam ac ſigilli noſtri impreſſione roborandam. Acta ſunt hec anno dom. incarn. MCC.V., indictione VIII, con-

concurrente V. epacta VIIII. coram teſtibus videlicet venerabili archiepiſcopo Trevirenſe *Johanne* & dom. *Chunrado* ſpirenſi epiſcopo, *Alberto* comite de *Tagespurch*, *Sygeberto* Langravio Alſatie, *Hugone* comite de *Luceleſtein*, *friderico* Juniore de *bytes*, *rudegero* advocato de *Hagenowe*, *Jacobo* de *Valkenſtein*, *Wolframo* de *fleckenſtein Sefrido* marſcalco de *Hagenowe* & aliis quam pluribus.

LXXVII.

INNOCENTIUS III. PP. *HENRICO* ARGENTINENSI ELECTO CONFIRMAT JUS PATRONATUS IN CELLA *VILMARI* A *BERTOLDO* COMITE DE *NUWENBURG* CONCESSUM.

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis. fol. 45.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio *Heinrico* argentinenſi Electo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Annuere ſolet ſedes apoſtolica piis votis & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu jus patronatus in Cella *Vilmari* (a) cum pertinentiis ſuis a comite *Bertholdo* (b) & filio ejus eccleſie argentinenſi conceſſum, ſicut illud eadem Eccleſia juſte poſſidet, & quiete tibi & pro te ipſi Eccleſie auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. ſiquis autem hoc attemptare preſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum *Rome* apud ſanctum *Petrum*, VIII. Idus octobris, pontificatus noſtri anno octava.

(a) Cella *Vilmari*, hodie Prioratus S. *Udalrici*, ſita in Briſgovia, in nigra ſylva prope Abbatiam S. *Petri*, cui fuit deinde unita. Advocatia *Villemareſcelle* memoratur in diplomate *Friderici* II. Imp. anni 1213. inter bona, quae *Conradus* Argentinenſis Epiſcopus a comite *Bertholdo* de *Nuwenburch* emerat. Eidem *Friderico* in feudum advocatiam coenobij *Vilmarſcelle* an. 1236. conceſſit *Bertholdus* Argentinenſis Epiſcopus.

(b) *Bertholdus* comes de *Nuwenburg*, qui teſtibus *Schadaeo* p. 13. & *Trithemio* in *Chronico Hirſaugienſi* cum filio *Hieroſolymam* profecturus Comitatum ſuum, accepta pecunia, Argentinenſi Eccleſiae an. 1200. vendidit.

LXXVIII.

LXXVIII.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS BULLAM *ADRIANI* PP. 774. RENOVANS CANONICOS ECCLESIAE CATHEDRALIS IN JURIBUS ARCHIDIACONALIBUS RESTITUIT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Henricus* divina favente clementia argentinenſis Eccleſie electus omnibus *Chriſti* fidelibus in perpetuum. Venerabilium patrum ac predeceſſorum noſtrorum *Adriani* Pape, atque *Ethonis* argentinenſis Epiſcopi exempla ſequentes, nec non & glorioſiſſimi *Karoli* francorum Regis liberalitatem approbantes, qui fratres, ſeu Canonicos majoris Eccleſie decenti honore ſublimarunt, & Laudabili utilitate ditaverunt, ne vetuſtate aboleatur, vel oblivione perdiretur, eorum ſcripta propria auctoritate renovare decrevimus. ejusdem vero privilegii tenor & inſtitutio talis eſt: *Sequitur Bulla Adriani Papae an.* 774. *quae tota extat in codice diplomatico hiſtorie eccleſie argentinenſis tom.* 2. *num.* 66. *p. CXI.* Ut ergo predictorum reverentiſſimorum patrum & principum pia largitio atque benigna conſtitutio integrum perhennitatis robur obtineat, dilectum fratrem noſtrum *Albertum* prepoſitum cum univerſis fratribus noſtris canonicis in poſſeſſionem juris ſui, que aliquantulum per anteceſſores noſtros neglecta fuerat, ex integro reſti-

tuimus, ad preſens Libras ſeptem argentinenſis monete de preſenti mutatione quam in moneta noſtra fecimus, dando, ac deinceps, tam nos, quam noſtri ſucceſſores in qualibet mutatione predictorum quatuor officiorum ſine contradictione ſimiliter obſervando. Ad hujus itaque facti confirmationem preſentem paginam ſcribi, ac ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum *argentine* feliciter, anno Dominice incarnationis MCC.V, indictione octava, preſidente Romane ſedi Domino *Innocentio* III., anno pontificatus ejus VII, preſentibus fratribus noſtris, & aliis multis liberis, miniſterialibus & civibus.

LXXIX.

PHILIPPUS REX ROM. BONA FEODALIA ACQUISITA A *WERNHERO* DE *ETTENDORFF* ET FRATRIBUS DE *SCHILLERSDORFF* ABBATIAE NEOBURGENSI CONFIRMAT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 38.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Philippus* ſecundus divina favente clementia Romanorum Rex & ſemper auguſtus. pium deſiderium, quod ad religionis propoſitum pertinere cognoſcitur, regalem benignitatem Libenti animo decet admittere ac in omnibus ſuffragium & Levamen procurare. quapropter notum eſſe volumus omnibus *Chriſti* imperiique fidelibus tam futuris quam

quam preſentibus hec ſcripta legentibus vel audientibus, quod veniens in praeſentiam noſtram dilectus noſter *P. Abbas novi Caſtri* cum fratribus ſuis vera relatione ſignificavit, quod olim quidam nobilis miles *hezel* de *Eddendorf* deglorioſe dive memorie *F.* Romanorum Imperatore patre noſtro & de Germano noſtro beate recordationis *H.* feodatus fuerit & inter cetera feoda ſua duos manſos in termino ville, que *Wiminova* vocatur, habuerit, quos moriens *Wernbero* filio ſuo hereditario jure reliquit. a quo ſcilicet *W.* abbas *novi Caſtri* & fratres ſui feoditatem eorundem manſorum, quia eos ſuis allodiis contiguos & animalium ſuorum uſibus aptos cognoverunt, viginti libris & bono poladro comparaverunt & poſtea prefatus *W.* eosdem manſos nobis reſignans proprietatem predictorum manſorum cum omni jure & attinentiis ſicut ille ab imperio habuerat, abbas & fratres ſui a nobis receperunt & in proprium poſſidendos obtinuerunt. ſane alios duos manſos cum aliis bonis in terra arabili, quos *Ulricus* & *rogobus* fratres de *Schiltelsdorf* ſimiliter de patre noſtro *F.* Imperatore jure feodali habuerunt & germano noſtro dive memorie *H.* Imperatori reſignaverunt & prefatis fratribus pro LX libris in proprietatem contradiderunt, ipſam emptionem ratam habemus & terram eandem in proprium poſſidendam eis confirmamus cum omni jure & libertate, ſicut illi de ipſo habuerunt. &c. &c. &c. Acta ſunt hec anno dom. incarn. MCC.V., indictione VIII, concurrente V, epacta IX, coram his teſtibus, *Cunrado* ſpirenſi Epiſcopo, *Syberto* comite de *Werda*, *hugone*

gone comite de *Lucelinſtein*, *Rudegero* advocato de *Hagenowe*, *Heinrico* de *Winſtein*, civium vero & rurenſium nomina, *Symone*, & *Lewino Friderico*, *Ottone*, *Hugone*, *Syntrammo*, *Cunrado*, *Theodorico*, *Wolframo*, *Bernewino*, *Friderico*, *Heinrico*, *Ludewico*, *Godefrido longo*, *Theoderico*, *Cunrado*, *Volcmaro* de *Kyrwilre*, & aliorum plurimorum tam nobilium quam rurenſium.

LXXX.

FRIDERICUS DUX LOTHARINGIAE PRAEDIUM *BREIDENBACH* IN LOTHARINGIA ABBATIAE NEOBURGENSI RESTITUIT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae novi Caſtri fol. 35. (a)

In nomine ſancte ac individue Trinitatis, Ego *Fridericus* Dux Lotharingie in perpetuum. Notum fieri volumus tam preſentibus quam futuris, quod in die ſepulture felicis memorie patris mei *Friderici* Ducis in capitulo *Sturzelbrunnen* coram multis aſtantibus ad ammonitionem venerabilis ac in *Chriſto* dilecti *Petri* abbatis & fratrum ſuorum de *Nuwenburch* predium *Breitinbach* (b), quod pater meus una cum *Volmaro* miniſteriali ſuo prius donaverat *ſancte Cruci* & glorioſe Dei genitrici virgini *Marie*, ac propter frequentes deductiones ac venationes, quas exercebat, ad ſe injuſte ac indebite

bite retraxerat, & per aliquot annos incultum jacuerat, remiſi ac de cetero poſſidendum contradidi cum omnibus attinentiis, agris, paſcuis, nemoribus, aquarum decurſibus & piſcationibus, ac priorem donationem, que per ipſos facta fuerat, ratam habui ac coram miniſterialibus meis, qui aderant confirmavi, & ut iterato grangia ibidem conſtrueretur, inſtanter petivi, & ut mei memoria ac progenitorum meorum in eodem monaſterio arcius imprimeretur indulſi, ut eadem grangia de foreſto noſtro ligna ad ſtructuram domorum accipiat, ac animalia & oves usque ad caſtrum noſtrum, *Bytis* (c) libere paſcua querant. Porro ne de terminis impoſterum aliqua dubietas ſuccreſcat, propriis decrevimus vocabulis exprimendos, id eſt a duobus magnis lapidibus a plaga orientali aſcendendo in rivulum *Liepach* usque meridiem ad arbores ducis, ac ab illo loco uſque *Wolpeſteine* & illuc aſcendendo usque ad ſtratam, que ducit *Hatinburc*, & a ſtrata illa usque rivulum *Salatinbach*, ac ab hinc usque *Lichenbach*, & deinde usque in ortum *Haedrichesdal* & ibidem aſcendendo usque *Rodenſolle*, & ibidem per *Berberſtrabe* deſcendendo usque ad terminos ville *Memleich* & de hinc ad priorem locum. Acta ſunt hec anno ab incarnatione Domini MCCVII. indictione decima, coram teſtibus, videlicet *Theodorico* abbate & omni conventu de *Sturcelburne*, *Bertrammo* Capellano de *Bytis*, *Joanne* de *Mounilir*, *Lamperto*, *Eberhardo* & fratre ejus *Karolo*, *Tancrado* & fratres ejus *Ruthardo*, *Alberto* cum duobus fratribus ſuis, Item *Koſiendino* & fratre ejus *Petro*, *Hartberone* ſcolteto & aliis

quam

quam pluribus de caſtro, tam de nobilibus quam de populo.

(a) Vid. *Schöpflini Alſat. Diplom. T. I. p. 316.* ubi quaedam corrigenda.

(b) vicus hodie *Breidembach* in Lotharingia ſitus in Ballivatu de *Bitſche*, a quo diſtat duabus leucis cum dimidia. Grangiam *preitenbach* jam anno 1177. confirmaverat Abbatiae Neoburgenſi *Alexander* III. PP.

(c) *Bitſch* oppidum Lotharingiae, de quo legatur *Calmet Notice de la Lorraine Tom. I. p. 120-124.*

LXXXI.

PHILIPPUS II. REX ROM. HOSPITALE HAGENOENSE ORDINI PRAEMONSTRATENSI SUBJECTUM IN SUAM RECIPIT PROTECTIONEM, BONAQUE ET POSSESSIONES ILLIUS CONFIRMAT.

Ex tabulario Civitatis Hagenoenſis. (a)

In nomine ſancte ac individue Trinitatis. *Philippus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus. Cum nos ſumus in ſumma rerum dignitate conſtituti, & divina ordinatione per nos jura regantur, imperii & adminiſtratio rerum temporalium noſtro moderamine diregatur, creatorem noſtrum inter has rerum varietates recognoſcimus, & quidquid ad Laudem & gloriam nominis ſui placite poſſe pervenire putamus, humiliter & devote & pio & ſtudioſo mentis affectu id exequi volumus,

lumus, & effectu rerum ſubſequente promovere, loca quoque religioſa, quae ad cultum divinum, & ad ſuſtentationem pauperum conſtituta ſunt, ubique locorum ſub majeſtatis noſtrae munimine ſemper volumus eſſe ſecura, ut dum perſonae divinis obſequiis ibi mancipatae ab incurſu & ſtrepitu rerum temporalium expeditae, ſub ſancto otio regularis diſciplinae vivant, & in ſancta contemplatione pro ſalute noſtra & pro ſtatu Imperii Dominum libere poſſint exorare. Hinc eſt igitur, quod nos illud hoſpitale in *Hagenoa* quia in ipſo fundo noſtro ſitum eſt, & a dilecto Patre noſtro *friderico* Romanorum Imperatore inclitae recordationis fundatum eſt, ſub ſpecialem noſtram protectionem recipimus, eccleſiam quoque in *Balbrunen*, quam dilectus Dominus & frater noſter *Henricus* Romanorum Imperator eidem hoſpitali in *Hagenau* contulit in reſtaurationem & in recompenſationem decimarum illarum, quae eidem hoſpitali ex prima inſtitutione praememorati Patris noſtri ſolvi ſolebant (b), ſibi regia authoritate noſtra confirmamus, ita ut praepoſitus & fratres jam dicti hoſpitalis in ipſa eccleſia *Baldenbrun*, unum ſacerdotem de fratribus ſuis locent, vel alium prout eis viſum fuerit, ipſi hoſpitali expedire, cui ipſi in neceſſariis provideant, & omnes alii proventus illius eccleſiae ad utilitatem cedant praefati hoſpitalis; praepoſitus vero hoſpitalis curam animarum jam dictae Eccleſiae recipere debeat ab eo, a quo recipi conſuevit ex antiquo, & ipſe praepoſitus & omnes, qer quos domus illa regi debet, ſint de ordine Praemonſtratenſium, in-

inſuper confirmamus eidem hoſpitali, ſicut ei conceſſum & diſtinctum fuit a ſupradicto patre noſtro *friderico* Romanorum Imperatore auguſto, totam illam plebem, quae eſt citra aquam, quae dicitur *Modra* (c), ſicut ipſum hoſpitale nunc poſſidet, ſcilicet molendinum quod eſt ſub caſtro noſtro *Hagenoae*, duo molendina quae dicuntur Rodemül, molendinum in *Schwegbus* (d), molendinum in *Wingersheim* (e) & bona in *Walheim* (f), quae ipſis contulit *Wicramus* & uxor ejus *Eufemia* cum alio manſo in eadem villa, bona quoque in *Kriegsheim* (g) in *Rumersheim* (h), in *Atzenheim* (i), in *Luterswiller* (l), in *Buren* (m), in *Schiltersdorff* (n), in *Zuzendorff* (o), in *Hoffelden* (p), in *Oberhoffen* (q), in *Onolsheim* (r), in *Weitbruch* (s), in *Suveltzheim* (t), in *Roppenheim* (u), confirmamus etiam eis omnia bona illa, quae ipſum hoſpitale juſto titulo acquiſitionis poſtmodum poſſit acquirere. Hujus rei teſtes ſunt Biſſuntinus archiepiſcopus, *Ercbertus* Bambergenſis Epiſcopus, *Henricus* argentinenſis Epiſcopus, *Conradus* ſpirenſis Epiſcopus, *Leopoldus* Baſilienſis Epiſcopus, *Otto* Dux Merariae & alii multi. Signum Domini *Philippi* Romanorum Regis invictiſſimi ſemper auguſti. acta ſunt haec anno ab Incarnatione Domini MCC VII, regnante glorioſo Romanorum Rege *Philippo*, Anno regni ejus decimo. Datum apud *argentinam*, VIII. idus februarii, indictione decima.

(a) *Schöpfflin Alſat. Diplom. Tom. I. pag. 315.*
(b) vid. ſupra Diplom. *Henrici* VI. de an. 1193.
(c) Parochia S. *Nicolai* in Hagenoa, quam hodie adminiſtrant Praemonſtratenſes.

(d)

(d) *Schweighauſen.* (e) *Wingersheim.* (f) *Wahlenheim.* (g) *Kriegesheim.* (h) *Rumersheim.* (i) *Hob azenheim.* (l) *Leutersweiler.*

(m) *Büren* prope *Sultz* in Baronia *Fleckenſtein* ſitus hodie deſtructus.

(n) *Schillersdorff.* (o) *Zuzendorff.* (p) *Hochfelden.* (q) *Oberhofen.* (r) *Olvisheim.* (s) *Weitbruch.* (t) *Suffelnheim.* (u) *Roppenheim.*

LXXXII.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS *BERTRADEM* NOBILEM DOMINAM CUM FRATRE ET FILIJS DECLARAT MINISTERIALEM ECCLESIAE ARGENTINENSIS.

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis. fol. 39.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Heinricus* Dei gratia argentinenſis Epiſcopus, univerſis in *Christo* fidelibus tam futuris quam preſentibus preſentem paginam intuentibus, ſalutem in Domino. ad poſteritatis notitiam preſenti ſcripto transmittimus, quod domina quaedam nobilis *Bertradis* nomine cum fratre ſuo & filiis ſuis, & alia cognatione ſua multa manens in Epiſcopatu ſpirenſi in villa videlicet *Nutzdorf* (a), primum coram domino *Cunrado* Epiſcopo dive memorie predeceſſore noſtro a Domino *Bertholdo* de *Scharpfenberg* (b) infeſtata, eo quod ipſam Dominam & ejus progeniem injuſte ſibi vellet vendicare, ad noſtram tanquam

Domini ſui acceſſit preſenciam, oſtendens ſe ac omnem progeniem ſuam de familia & de miniſterialibus eccleſie beate *Marie* noſtri ſcilicet Epiſcopatus, hoc quoque juramento preſtito, legitimis & ydoneis teſtibus, cognatis ſcilicet & miniſterialibus ſuis plenarie comprobavit. poſtmodum vero Domino *Bertoldo* mortuo, frater ejus dominus *Heinricus* de *Scharpfenberg*, eadem queſtione ſuper eisdem miniſterialibus coram nobis in *Hagenowia* ventilata in pacis forma, conſilio dictante, omni verbo quod ſuper eos moverat, omni dolo, omnique calliditate remota, omnimode renunciavit. hujus rei ſunt teſtes noſtre majoris eccleſie canonici ac prelati, *Albertus* Prepoſitus, *Eberbardus* Decanus, *Fridericus* Cantor & Camerarius; *Rudolfus* archidiaconus, *Arnoldus* cuſtos, Dominus *Cunradus* ſpirenſis Epiſcopus, comes *ſigebertus*, comes *Albertus* de *Dagesburg*, *Cunradus* Prepoſitus de *Danna*, *Fridericus* frater ejus, *Bertoldus* & frater ejus *Heizelo* de *Bochingen*, *Ansbelmus* de *Danna*, *Burcbartus* Burgravius de *argentina*, *Eberbardus* filius *Waltheri* de *argentina*, *Burchardus* puer, *Rudolfus* ſcultetus, *Meirboto* de *Malbere*, *Herrtrich* de *Lichtenberg*, *Heinricus* de *Chuſterdingen.* Acta ſunt hec anno ab Incarnatione Domini MCCVIII.

(a) *Nuſsdorff* trans Queicham uno diſtat lapide a *Landavia*, quae eandem villam an. 1508. emit a *Conrado* de *Heideck.*

(b) *Scharffenberg* Weiſſenburgenſis Eccleſiae feudum caſtrum eſt, ut notat *Schöpflinus Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 177.

LXXXIII.

LXXXIII.

INNOCENTIUS III. PP. CONFIRMAT ABBATIAE NEOBURGENSIS BONA, JURA ET PRIVILEGIA.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae novi Caſtri fol. 5. (a)

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Petro* abbati monaſterii ſancte *Marie novi Caſtri*, ejusque fratribus tam preſentibus quam futuris, regularem vitam poſeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe preſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur quod abſit ſacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus & monaſterium ſancte *Marie* novi *Caſtri*, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Domini & beati *Benedicti* regulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quascunque poſſeſſiones, quecunque bona idem monaſterium in preſentiarum juſte & Canonice aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illi-

bata permaneant. In quibus hec proximis duximus vocabulis exprimenda Locum ipſum in quo prefatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, grangiam *Tochendorf*, grangiam *Hitendorf*, grangiam *Lobach*, grangiam *Hartbuſen*, grangiam *Dalheim*, grangiam *Buthenheim*, grangiam *Wilre*, grangiam *Erengerswilre*, grangiam *Selhoven*, grangiam *Sconenvelt*, grangiam *Mulenbach*, grangiam *Bretinbach*, grangiam *Paphenburnen*, grangiam *Lachen*, grangiam *Wilenbach*, grangiam *Honſcheit*, cum *Winchinhoven*, grangiam *Suvelnheim* & grangiam *Heckenheim* cum omnibus pertinentiis ſuis, agris ſcilicet, pratis, aquis, ſilvis, cultis & incultis. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, tam de terris cultis, ſive de ortis & virgultis & piſcationibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere preſumat liceat quoque vobis clericos, vel Laicos liberos & abſolutos e ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Venientes autem ad converſionem vel etiam pro ea, ſi confeſſi fuerint, quod pro appoſitione ignis, aut violenta manuum injectione in clericum vel aliam religioſam perſonam vinculo teneantur excommunicationis aſtricti, aut aliis modis, prout & eos qui debito pecunie alicui perſonae obligati fuerint, & ſolvere poſſint, auctoritate apoſtolica liberam habeatis poteſtatem abſolvendi, & congruam penitentiam injungendi. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in monaſterio veſtro profeſſionem fas ſit

ſit ſine abbatis ſui licentia, de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero absque communium litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere, quod ſi ſiquis forte retinere preſumſerit, licitum vobis ſit in ipſos monachos vel converſos regularem ſententiam promulgare. Univerſis eccleſiarum prelatis per apoſtolica ſcripta mandatur, quatenus ſicubi in parochiis & collegiis ſuis profeſſi ordinem ciſtercienſem, vel ab aliis illecti vel propria levitate ſeducti, inde fuerint egreſſi inventi, ſi admoniti ad proprias domos redire diſtulerint, eos contradictione & appellatione ceſſante, excommunicatos publice denuntietis, & ſicut excommunicatos faciatis arcius devitari, donec ad domos proprias revertantur. Illud diſtrictius inhibentes, ne terras ſeu quodlibet beneficium eccleſie veſtre collatum liceat alicui perſonaliter dare, ſive alio modo alienare absque conſenſu tocius capituli vel majoris, aut ſanioris partis ipſius. Si que vero donationes, vel alienationes aliter, quam dictum eſt, facte fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. ad hec etiam prohibemus, ne aliquis monachus ſive converſus ſub profeſſione veſtre domus aſtrictus, ſine coſenſu & licentia ſui abbatis & majoris partis capituli veſtri pro aliquo fide jubeat aut pecuniam mutuo accipiat ultra peculium capituli veſtri prudentia conſtitutum, niſi propter manifeſtam domus veſtre utilitatem. quod ſi facere preſumpſerit, non teneatur conventus pro hoc aliquatenus reſpondere, licitum preterea ſit vobis in cauſis propriis, ſive civilem, ſive criminalem contineant queſtionem, fratrum veſtrorum teſtimoniis uti,

ne pro defectu teſtium jus veſtrum in aliquo valeat deperire. Inſuper auctoritate apoſtolica inhibemus, ne ullus Epiſcopus, vel alia quelibet perſona, niſi pro fide ad ſynodos, vel conventus forenſes vos ire, vel judicio ſeculari de propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat. Si quisquam adverſum vos ſibi aliquid crediderit de jure competere, ſub eccleſiaſtici juris examine expediendi habeant facultatem, nec ad domos veſtras cauſa ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire preſumat, nec regularem abbatis veſtri electionem impediat, aut de inſtituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra ſtatuta Ciſtercienſis ordinis ſe aliquatenus intromittat. ſi vero Epiſcopus, in cujus parochia domus veſtra fundata eſt, cum humilitate ac devotione, qua convenit requiſitus, ſubſtitutum abbatem benedicere, & alia que ad officium epiſcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum ſit eidem abbati, ſi tamen ſacerdos fuerit, proprios novicios benedicere, & alia quae ad officium ſuum pertinent exercere, & vobis omnia ab alio Epiſcopo percipere, que a veſtro fuerint indebite denegata; illud adicientes, ut in recipiendis profeſſionibus, que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea ſint epiſcopi forma & expreſſione contenti, que ab origine ordinis noſcitur inſtituta, ut ſcilicet abbates ipſi, ſalvo ordine ſuo, profiteri debeant & contra ſtatuta ordinis ſui nullam profeſſionem facere compellantur. Pro conſecrationibus vero altarium, vel eccleſiarum, ſive pro oleo ſancto vel

vel quolibet eccleſiaſtico ſacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio quolibet modo quicquam audeat extorquere, ſed hec omnia gratis vobis Epiſcopus dyoceſanus impendat, alioquin liceat vobis quemcunque malueritis, catholicum adire antiſtitem, gratiam & communionem apoſtolice ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis quod poſtulatis, impendat. quod ſi ſedes dyoceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis accipere libere & absque contradictione poſſitis ſic tamen, ex hoc in poſterum propriis Epiſcopis nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romane ſedis, ut diximus, communionem habentem, vel de quo plenam noticiam habeatur, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum & veſtium, conſecrationes altarium, ordines monachorum auctoritate apoſtolice ſedis recipere valeatis. Porro ſi Epiſcopi, vel alii eccleſiarum rectores in monaſterium veſtrum, vel perſonas inibi conſtitutas ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ſive etiam in mercenarios veſtros pro eo, quod decimas non ſolvitis, ſive aliqua occaſione eorum, que ab apoſtolica benignitate vobis indulta ſunt, ſeu benefactores veſtros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obſequia ex caritate preſtiterint, vel ad laborandum adjuvaverint in illis diebus, in quibus vos laboratis & alii feriantur, eandem ſententiam protulerint ipſam tanquam contra ſedis apoſtolice indulta pro-

latam duximus & irritandam, nec littere ulle firmitatem habeant, quas tacito nomine cyſtercienſis ordinis, contra tenorem apoſtolicorum privilegiorum, conſtiterit impetrari. ſi qui autem in aliquem de familia veſtra, quamdiu in famulatu veſtro fuerit, propter detentionem decimarum, vel aliud aliquid a ſede apoſtolica indultum ordini veſtro excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgaverint liceat vobis eum abſolvere, & ſi neceſſe fuerit, eccleſiaſtica ſacramenta & ſepulturam conferre. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nihilominus in veſtro monaſterio, excluſis excommunicatis & interdictis, divina officia celebrare Plane indulgetur vobis, ut ſi privilegia veſtra cum opus fuerit, malignitas nec recipi paciatur, nec audiri, & contra immunitates, que in privilegiis continentur, aliquod prejudicium in vobis propter hoc contigerit diffiniri, quod factum fuerit, irritum ſit & inane, nec propter hoc debeatis diſpendio ſubjacere. paci quoque & tranquillitati veſtre paterna inpoſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. praeterea omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum a regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apo-

poſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate. ſi qua ergo in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem Loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti*. quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant, amen. Ego *Innocentius* catholice eccleſie Epiſcopus. Ego *Hugo* hoſtienſis & velletrenſis Epiſcopus. Ego *Petrus* Porticenſis & ſanctae *Rufinae* Epiſcopus. Ego *Joannes* albanenſis Epiſcopus. Ego *Johannes* ſabinenſis Epiſcopus. Ego *Nicolaus* Tuſculanenſis Epiſcopus, Ego *Guido* Preneſtinus Epiſcopus. Ego *Cinthus* titulo ſancti *Laurentii* in *Lucina* presbyter Cardinalis. Ego *Soffredus* titulo S. *Praxedis* presbyter Cardinalis. Ego *Cencius* ſanctorum *Jo-*

hannis & *Pauli* preſbyter Cardinalis titulo *Pamachii.* Ego *benedictus* tit. ſancte *Suſanne* preſbyter Cardinalis. Ego *Leo* titulo *ſancte Crucis* in *Jeruſalem* preſbyter Cardinalis. Ego *Rogerius* titulo ſancte *Anaſtaſie* preſbyter Cardinalis. Ego *Petrus* ſancte *Pudentiane* titulo paſtoris preſbyter Cardinalis. Ego *Gregorius* ſancti *Georgii* ad *velum aureum* diaconus Cardinalis. Ego *Guido* ſancti *Nicholai* in carcere *Tull*, diaconus Cardinalis. Ego *Johannes* ſancte *Marie* in *via lata* diaconus Cardinalis. Ego *Guala* ſancte *Marie* in *porticu* diaconus Cardinalis. Ego *Octavianus* SS. *Sergii* & *Bachi* diaconus Cardinalis. Ego *Johannes* ſanctorum *Coſme* & *Damiani* diaconus Cardinalis. Datum *Laterani* per manum *Johannis* ſancte Romane Eccleſie cancellarii, ſancte *Marie* in *Coſmidin* diaconi cardinalis, III. nonas maij, indictione undecima, incarnationis dominice anno MCCVIII. pontificii vero domini *Innocentii* Papae tertii anno undecimo.

(a) *Schöpflin Alſat. Dipl. Tom. I. p. 317.* ubi quaedam corrigenda.

LXXXIV.

LXXXIV.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS ASSERIT ABBATIAE *NOVI CASTRI* JUS PATRONATUS IN *DUNNENHEIM.*

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 66.

H*einricus* Dei gratia Argentinenſis Epiſcopus univerſis tam preſentibus quam futuris in perpetuum ſcire volumus univerſos, quod cum diu in preſencia noſtra & tocius ſynodi queſtiō verteretur ſuper jure patronatus eccleſie *Dunnenheim* inter venerabilem & dilectum fratrem noſtrum *Petrum* abbatem *novi Caſtri* & *Meffridum* plebanum de *Oberhoven*, tandem poſt frequentes hinc inde altercationes tum coram nobis, tum coram his, qui vice noſtra fungentes pulpitalia placita tenebant, dictus *Meffridus* in virtute obedientie a nobis commonitus, ut veritatem ſecundum conſcientiam ſuam nobis exprimeret, conſtanter aſſeruit, quod cum in minori etate eſſet conſtitutus eccleſiam *Dunnenheim* a domino *Hugone* quondam abbate *novi Caſtri* recepit; conſequenter vero affirmavit, quod idem abbas ipſum Dominum *Chunrado* bone memorie predeceſſore noſtro, tunc archidiacono, ut curam animarum ſibi committeret, preſentavit, & ita ſepedictam eccleſiam plusquam viginti annis quiete poſſederit, adjecit quoque quod inſtante ſynodo noſtra, quidam amici ſui, de quibus plurimum confidebat, ipſum gravi egritudine detentum circum venientes induxerunt, ut curam

curam eccleſie *Dunnenheim* Domino *Rudolfo* archidiacono reſignaret & eam fratri ſuo, *Anſelmo* conferret, quod & factum eſt. Igitur ne quid varietatis contra factam a nobis inquiſitionem quomodolibet poſſint oriri, ad peticionem prefati fratris noſtri *P.* Abbatis hanc paginam fecimus conſcribi & teſtes, qui hoc viderunt & audierunt, ſubnotari, *Arnoldus* major prepoſitus, *Fridericus* Cantor, *bertholdus* prepoſitus Honaugienſis & fratres ejus, *Ulricus* de *Ouwilre*, *Wolfradus*, *Reinhardus*, Magiſter *Heinricus* de *Lutenbach*, *Hugo* Capellanus S. *Stephani* & alii quam plures. Acta ſunt hec *Argentine*, in ſuperiori Capella S. *Ulrici* ao. ab incarn. Dom. M.CC.VIII. octavo idus Novembris.

LXXXV.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS CONFIRMAT INSTITUTIONEM VICARIAE PERPETUAE IN *SCHERWEILER.*

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis, fol. 34.

Heinricus divina favente clementia argentinenſium Epiſcopus. Dignum eſt, ut ea que fuerunt ad decorem domus Domini, & ad profectum animarum conſtituta ſcripture memoria perpetuentur, ne futuris temporibus aliquis exinde dubitationis ſcrupulus oriatur. Ea propter noverint tam preſentes, quam futuri, qualiter Canonici

nici majoris eccleſie argentinenſis ſuper capella in *Screwilre* (a) ad eos pertinente, ſalubri conſilio ſtatuerunt, ut ſacerdos ibidem Deo ſerviens pepetuus vicarius exiſtat, & curam animarum ſuſcipiat, ita tamen, quod in alio quodlibet loco neque prelati, neque vicarii vicem ſuſtineat, ſed quicumque ad hoc beneficium vocatus fuerit, & aliud ſive ab eccleſiaſtica, ſive a ſeculari perſona beneficium obtinuerit, eo ipſo huic perpetue vicarie renunciaſſe penitus cenſeatur, & alter in ejus loco libere ordinetur. quia vero dignum eſt, ut qui altari ſerviunt, de altari vivant, idem perpetuus vicarius ſingulis annis pro redditibus habeat XXX. quartalia ſiliginis, & XXX. hamas rubei vini, & minutas decimas arborum, olerum, animalium, & inſuper unum agrum incultum, quem tamen tenetur redigere ad culturam, oblationes & animarum remedia pleno jure obtineat, & cenſum cimiterii, eo excepto, quo manſurnarius ſive fratres decreverunt indigere; jus vero Kathedratici ipſi fratres exſolvere teneantur, ut igitur hec inconvulſa permaneant, nos auctoritatem noſtram apponimus, & preſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine confirmamus. Nulli ergo liceat infringere factum ad Dei cultum feliciter ordinatum. actum publice, anno incarnationis Domini MCC. VIII. Indictione XI, anno pontificatus Domini *Innocentii* Pape tertii XII, preſentibus hiis *arnoldo* prepoſito, *Eberhardo* Decano, *Friderico* Cantore, *Wolfrado* archidiacono, *Cunrado* Cellerario, *Reinhardo* portario, *Hermanno* Dapiſero, *Ulrico* de *Honewilre*, *Rudolfo* archidiacono, *Beringero* archidiacono,

cono, *Bertholdo* Camerario de *Geroltsecke*, *Heinderico*, *Diethelmo*, *Ludewico* de *Hunebürc*, *Ottone* de *Bonvelt*. (b)!

(a) *Scherweiler*, ubi Capitulum Majus decimas dividit cum Abbatia *Andlau*, quae alternatim cum illo jus patronatus exercet.

(b) vid. *Calmet notice de la Lorraine Tom. 2. pag. 541. ſq.*

LXXXVI.

SIGEBERTUS COMES DE *WERDA* QUAEDAM BONA IN *ROTBACH* CONCEDIT ABBATIAE *REGIOPONTANAE*.

Ex chartis Abbatiae *Regiopotanae*. (a)

Ad Generalem dignoſcitur ſpectare utilitatem, ut ea quae modernis temporibus aguntur, ſcriptis firmiter roborentur. Inde eſt, quod ego *Sigebertus* Comes ad notitiam cunctorum deducere dignum duxi, quod pro remedio animae meae & pro remediis animarum meorum puerorum *Henrici* & *Sigeberti* & uxoris meae quaedam bona in *Rotbach* (b) ſanctae *Mariae* in *Regisponte* tradidi, tali forma pactionis impoſita, ut ibidem *Chriſto* famulantes annualem diem meum & meorum puerorum & uxoris meae peragere reminiſcantur. ut enim haec firma donatio ſit, praeſentem paginam forma noſtra ſigilli munivimus & teſtes ſubſcripſimus. Miniſteriales mei *Heinricus* de *Surbach*, *Gote-*

Gotefridus de *Benevels* & alii quam plures, *Hibelungus* de *Brumat*, *Gotefridus* de *Wizenburg*, *Reginerus* de *Brumat*. Acta ſunt haec anno incarnationis Domini MCCVIII.

(a) Confer. *Schöpflin Alſat. Dipl. T. 1. p. 319.*
(b) *Rotbach* in Dynaſtia Oberbronnenſi leuca infra caſtrum *Lichtenberg* adjacet rivulo cognomini, qui influit *Motram* perluentem oppida *Hagenoam* & *Neoburgum.*

LXXXVII.

CESSIO ALLODIJ IN *LIENENHAUSEN.*

Ex rotulo Abbatiae *Regiopontanae.*

H*enricus* Dei gratia ſalſenſis humilis Abbas. cum per dierum, menſium, & annorum ſpatia aetas hominum devolvatur in nihilum, & facta eorum per eadem non minus curricula conſtat id quod dignum habetur, memoriae ſcripto ſolemnizari, ut nec in oblivionis nebulam aut contentionis ſcrupulum relabatur, nec ab ullo homine malevole detrectatum infringatur. Noſſe igitur curet tam futuri quam praeſentis aevi univerſitas, qualiter noſtra ſalſenſis Eccleſia, cui ex gratia ſummi Datoris praeſidemus, quoddam allodium in *Lienowe* ſitum libere poſſiderat, quod cum omni juſtitia videlicet cenſibus dandis & placitis annualibus quaerendis in curiam noſtram *franckenheim* pertinuit. illud inquam allodium cuidam miniſteriali noſtro nomine *Arnoldo* ac *Theloneario* dicto, jure

jure haereditario fuit conceſſum, cui haereditati filius ejusdem *Arnoldi* etiam *Arnoldus* vocatus & noſter Miniſterialis ſucceſſit, qui cenſus & alia de jam dicto allodio pertinentia tam diu dare neglexit, quo usque eadem bona in noſtri juris proprietate, ut ſcabioorum qui vulgariter dicuntur Schöffen, ſententia dictaverat, contraximus, decurſis ergo aliquot diebus idem *Arnoldus*, de quo nobis ſermo eſt, id allodium, de quo diximus venerabili Dominae *Agneti* abbatiſſae in *Regis ponte* ſuisque conſororibus XX marcis & una appenſum vendidit; poſt habitam autem conventionem eadem Domina *Agnete* abbatiſſa pro debito intra XV dierum ſpatio ſolvendo fidejuſſores videlicet *Lupandum* monetarium & *Sigebotonem* cognomento magiſtrum burgenſes in *Selza* exhibente. Ipſe etiam *Arnoldus*, ſi quod eam & clauſtrum ejus pro ulla negligentia de illo allodio emergente circumveniret incommodum ſe promiſit expediturum, ſuper hoc ſacramento etiam fide juſſione duorum virorum ſcilicet *Bertholdi* cognomento *Lowonis* & *Hugonis* monetarii ſalſenſium civium compromittens. Imminente autem ſolvendarum marcarum articulo & partibus utrinque coram nobis ſtatutis accedens ad nos praefatus *Arnoldus* praetaxata bona Nobis reſignare voluit & ut poſt reſignationem Dominae *Agneti* abbatiſſae ſuisque conſororibus reſtitueremus rogavit. Nobis ergo reſpondentibus quod noſtri juris ac proprietatis illo allodio plus eſſet quam ſui & ſcabeis idipſum atteſtantibus ſcilicet in noſtra poteſtate eadem bona liberius eſſe quam in ſua propter negligentiam de juſtitiis an-

tea non datis factam & quod ipſe *Arnoldus* ex haereditate eorundem bonorum meruiſſet deponi interloquentibus nihil illo loco fuit proceſſum. Demum utrobique dictavit concilium, ut *Arnoldus* jam ſaepe dicta bona ſine omni dolo & absque mala intentione in manus fidejuſſorum ſuorum ſupradictorum ſimpliciter contraderet, ut ipſi fidejuſſores ejus ex poteſtate noſtra ea ſicut poſſent, exemerent. quod cum poſt noſtram acquietionem feciſſent, Nos Dominam *Agnetem* abbatiſſam ejusque conſorores in *Regisponte* eodem allodio in *Lienowe* cum ſuo jure, ſcilicet ut inde IIII uncias publicae monetae & XII Denarios in curiam noſtram *franckenheim* cum alia juſtitia nobis annuatim perſolverent, inveſtimus. Et ſciendum quod haec omnia in eadem curia *franckenheim* coram nobis & hominibus noſtris & omni familia quae de jure eidem curiae attingit. in placito annuali contigerit & affectui mancipata diu ſteterit. poſtmodum, quod nec quidem ſilentio praetereundum eſt, his ita bene geſtis & ordinatis, evoluto aliquo tempore jam fatus *Arnoldus* zelo iniquitatis inebriatus & exactioni pravae intendens, venditionem illius allodii denegando, tantum in pignore Dominae abbatiſſae *agneti* ſuisque conſororibus ſe obligaſſe illud allodium & non vendidiſſe vehementius aſſeverabat. Conſiſtente igitur coram nobis *Alberto* milite & praefati coenobii in *Regisponte* converſo & legitimo proviſore & ſuper hac injuria quaerimoniam movente, Nos ut noſtri juris erat in curiam noſtram *franckenheim*, in quam & ad quam illud allodium cum omni jure ſuo reſpectum habet ve-

niendi & ſuper hoc ſecundum juſtitiam placitandi utrique parti diem certum praefiximus, quo veniens jam dictus *Albertus* converſus & verba Dominae abbatiſſae gerens procuratorie, quod juſtum erat ſaniſſime obtinuit, ita quod Dominam *Agnetem* abbatiſſam ſuasque conſorores in *Regisponte* illud allodium in *Lienowe* ab *Arnoldo* miniſteriali noſtro pro XX marcis & una emiſſe, & non in ullo pignore obligaſſe ac juxta ſolutionis condictum bene perſolviſſe & ipſum *Arnoldum* cum uxore ſua *Metbilde* & liberis ejus eidem allodio renunciaſſe, & clauſtrum in *Regisponte* omnem juſtitiam de eodem allodio nobis debitam ſe plenarie dediſſe, teſtimonio ſcabeorum & aſſenſu huobariorum & aliorum quam plurium iſtud vere recognoſcentium veraciter & apertiſſime comprobavit. hujus rei teſtes ſumus & ita eſſe, ut praeſens ſcriptum docet, ampliſſime teſtamur, & ut rata & inconvulſa ſicut coram nobis iſta contracta fuerint, hanc paginam ſcribi & ſigillo noſtro, communiri fecimus. acta ſunt haec anno Incarn. Dni M.CC.VIII. praeſentibus nobis & aliis quam plurimis ſelſenſis oppidi civibus quorum nomina ſcripta ſunt: *Luprandus* monetarius *Cunradus* de *Litheim*, *Bertbold Frio*, *Sigebertus* magiſter, *Bertbold* de *borco*, *Rudegerus* ſuper Collem, *Luprandus* juvenis, *Bertbold Schrevogel*, *hermannus* frater ejus, *hugo* monet: *Eberhardus Ullet*, *Eberhard* de *Lutterbach*, *Bertholdus Longus*, *Conrad Mundele*, *Fritelo* juvenis & filius ejus, *Bertholdus Lowo*, *Wernerus Suarhgan*; praeterea alii comprovinciales noſtri, *Wolffram* de *Fleckenſtein*, *heinricus* de *Hatten*,

ten, *Godefrid Lancbein*, *Bebeling*, proviſor comitis *Sigeberti* & alii quam plurimi homines.

LXXXVIII.

CONCORDIA INTER ABBATIAS HOHENBURGENSEM ET PARISIENSEM CIRCA DECIMAS IN *ATTENWEILER.*

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

Quia que inter homines aguntur, diſturbare ſolet calumpnia, niſi ſcriptorum munimine confirmentur; ad preſentium & poſterorum memoriam transmittere curavimus, quod controverſia que vertebatur inter Hohenburgenſem & Pariſienſem Eccleſiam ſuper quibusdam decimis in parochia *Altenwilre* (a) prudentum conſilio, & communi utriusque eccleſie aſſenſu tali ſopita fuit moderamine, quod Eccleſia pariſienſis debet Hohenburgenſi annuatim pro decimis dare XXX hamas albi vini buremezes ante torcular de predio *Sifridi* de *Anſolfesheim* (b) & VI agris, quos contulit comes *ſigebertus* (c), pariſienſibus, quod nec abbatiſſa, nec plebanus de *Altenwilre* de ſupradictis, & etiam de nutrimentis animalium, & ſi que poterint colere, que nunquam culta fuerant de cetero poſſunt exigere decimam. Si vero in preteritum aliqua conferant alia, que quondam fuerant decimalia debent pariſienſes pacifice decimare. ſi autem aliquis plebanus in *Altenwilre* compo-

 ſitio-

ſitionem iſtam infringere attemptaverit, eccleſia Hohenburgenſis garentiam portare tenebit, & Pariſienſes indempnes in omnibus conſervare. Ut autem firmum ſit & ſtabile, quod pro pace conſtitutum eſt, cyrographum habent in alterutro ſigillorum munimine confirmatum. Teſtes autem, qui preſentes fuerunt in compoſitione, ſubnotavimus, abbatem (d) *mediani monaſterii*, abbatem de *Buongarten* (e), prepoſitum de *Trutenbuſen* (f), *Cuonradum* de *Landesperc* (g), *P.* ſcultetum in *Ebinbeim*, *Burckbardum* villicum de *Rodesbeim*, & plures alios, pluribus omiſſis, quos non poſſumus breviter dinumerare (h). Actum eſt hoc anno MCCIX. ab incarnatione Domini, Rege *Philippo* aſſumpto de medio. (i)

(a) *Altenweiler* vicus, qui perijt ſec. XIII. *Altenwilerenſes* reditus an. 1390. Abbatia Hohenburgenſis vendidit hoſpitali Argentinenſi, quod adhuc in *Dambaco*, quod *Altenwiler* ſuccrevit, gaudet decimis & jure patronatus.

(b) *Anſoldsbeim.*

(c) Comes *Sigebertus* de *Werda.*

(d) *Simon* an. 1206. *Mediano* praefuit monaſterio. teſte *Belbomme* in *hiſtoria* dicti *Monaſterij part.* 4. *pag.* 314.

(e) *Baumgarten*, Pomarium Abbatia Ord. Ciſterc, prope *Andlau.*

(f) *Fridericus.*

(g) *Edelindis* de *Landſperg* Abbatia Hohenburgenſis litteris an. 1200. eſt teſtata *Conradum* militem caſtrum *Landſperg* ſuo aedificaſſe conſenſu ac feudum, in quo id ſitum eſt, jure concambij a ſe accepiſſe. *Schöpflini Alſat. Illuſtr. T.* 2. *p.* 263 & 759.

(h)

(h) Subſequuntur litterae caudatae ita adornatae ut earum pars dimidia reſponderet alteri dimidiae parti traditae pariſienſi Abbatiae.

(i) *Philippus Bambergae* occiſus eſt 23. jun. 1208.

LXXXIX.

OTTO IV. REX ROM. ABBATIAE *NOVI CASTRI* PRIVILEGIA, JURA ET POSSESSIONES RENOVAT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 14.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Otto* quartus divina favente clementia Romanorum Rex ſemper auguſtus. Pium deſiderium, quod ad religionis propoſitum pertinere cognoſcitur, regalem benignitatem libenti animo decet admittere & in omnibus ſuffragium & Levamen preſtare: qua propter notum eſſe volumus omnibus *Chriſti* Imperiique fidelibus tam futuris, quam preſentibus quod nos Locum, qui dicitur *Nuwinburch* a *Reinoldo* quondam comite de *Lucelinburch* & bone memorie *friderico* duce ſuevorum ordini cyſtercienſi contraditum ob meritum retributionis eterne & ad poſtulationem dilecti noſtri *Petri* ejusdem loci abbatis in protectionem & defenſionem noſtre regalis majeſtatis ſuſcipimus &c. (*& reliqua ut in diplomate Henrici VI. regis dato* 8. *julij* 1196.) porro loca, que ipſum monaſterium in preſentiarum poſſidet, propriis duximus expri-

menda vocabulis, curtem *donecbendorf* cum appendiciis ſuis, curtem *Lopach* cum appendiciis ſuis, curtem *Wilinbach* cum appendiciis ſuis, curtem *Paphenburnem* cum appendiciis ſuis, curtem *Ruvelnheim* cum appendiciis ſuis, curtem *Lachen* cum appendiciis ſuis, curtem *Homcheit* cum appendiciis ſuis, curtem in *Ulimbach* cum appendiciis ſuis, curtem *Robbach* cum appendiciis ſuis, curtem *Wiminowa* cum appendiciis ſuis. Curtem *Erkerswilre* cum appendiciis ſuis. Item curtes *Hitindarf*, *Hartbuſin*, *Dunenheim*, *Dalebeim*, *Butinheim*, *Wilre*, omnes cum appendiciis ſuis ſane quicquid apoſtolica &c. ad cujus rei evidentiam preſens privilegium noſtri impreſſione ſigilli juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt *Otto* wirciburgenſis Epiſcopus. *Manegoldus* Patavienſis Epiſcopus, *Siboto* Habelbergenſis Epiſcopus, *Heinricus* Palatinus comes Rheni, *Lupoldus* Dux auſtrie *Ludewicus* Dux Bavarie *Gebehardus* prefectus Magdeburgenſis. *Emicho* comes de *Liningen*, *Heinricus* Marſchalcus de *Callindin*, *Walterus* pincerna de *Rotingin*, *Heinricus* Dapifer de *Waltberc* & alii quam plures. Signum Domini *Ottonis* quarti Romanorum Regis invictiſſimi. ego *Chuonradus* ſpirenſis Epiſcopus Imperialis aule Cancellarius vice Domini *Sifridi* Moguntine ſedis archiepiſcopi & tocius Germanie archicancellarii recognovi. Acta ſunt Hec anno ab Incarnatione Dom. M.CCVIIII. Indictione XII. regnante Domino *Ottone* quarto Romanorum Rege victorioſiſſimo. anno regni ejus XI. Datum *Wirceburgi* IIII. non. Junii.

XC.

XC.

HENRICUS ARGENTINENSIS EPISCOPUS ABBATIAE NEOBURGENSIS CURIAM IN *HARTHAUSEN* CONFIRMAT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 44. b. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Heinricus* Dei gratia argentinenſis eccleſie humilis miniſter, univerſis tam preſentibus quam futuris in perpetuum. Quoniam contractus vel donationes, que juſte ac legaliter a *Chriſti* fidelibus perficiuntur, temporis intervallis ac perſonarum variatis ſucceſſionibus memorie ſubtrahuntur, niſi ſcripturarum munimine conſervate perpetuentur, neceſſarium duximus ſcriptis commendare, quo titulo, vel qualiter monaſterium *Nuwenburch* curiam *Harthuſen* nuncupatam dinoſcatur poſſidere. Siquidem ſacerdos quidam venerabilis *Hartmannus* nomine ex familia comitis *Petri* de *Lutzelemburch* in clericatum aſſumptus, tandemque ad presbyteratus ordinem promotus, quoddam praedium, *Harthuſen* videlicet, cum omnibus appendiciis ſuis, id eſt Capella curiali, decimis, arbuſtis, agris, pratis, certis diſtinctum ac limitatum terminis, per multum tempus quiete poſſedit, ceterum poſtquam in diebus ſuis proceſſerat, noviſſimorum, & vite perhennis non immemor pia conſideratione jam dictum predium cum capella curiali & univerſis appendiciis & decimis, ab omni jure parochiali ex antiqua inſtitutione abſolutum, Beate

Marie & fratribus argentinenſis Eccleſie obtulit; cumque heredibus ipſius ſacerdotis & comiti *Petro* donatio facta innotuiſſet, cum abſque ipſorum coniventia hoc actum foret, unaniniter reclamaverunt, & quod factum fuerat, inmutare curaverunt. porro prelibato *Hartmanno* ſacerdote defuncto, dum heredes ipſius prefatum predium dividere vellent, ceperunt inter ſe granditer altercari, tantum, quod ipſum predium uſque ad tempora *Reinaldi* comitis, patre ſuo *Petro* comite jam defuncto, deſertum permanſit & incultum, donec primus abbas *Nuwenburch Ulricus* ſepe dictum predium tanquam pro derelicto habitum per manum domine *Yde* comitiſſe a filio ipſius *Reinaldo* ſuo monaſterio dari petiit, & conſentientibus heredibus *Hartmanni* presbiteri facillime impetravit (b). itaque cum idem venerabilis abbas *Ulricus* prenominatum predium aliquamdiu cum omnibus pertinentiis ſuis libere & abſolute in ea libertate, qua ſacerdos *Hartmannus* habuerat, poſſediſſet, Decanus & argentinenſis eccleſia propter donationem prius factam ipſi abbati & monaſterio ſuo queſtionem pro jam dicta donatione ſuſcitavit, ac Litem denuo innovavit. Enim vero pro bono pacis & concordiae, atque nove religionis favore, prudentum conſilio, bonorum quoque virorum arbitrio, in hunc modum ſedata dinoſcitur controverſia, videlicet quod monaſterium *Nuwenburch* Decano & argentinenſi eccleſie ſingulis annis in octava *Epiphanie* perſolvat quinque ſolidos monete publice in recognitionem ſue libere poſſeſſionis per canonicos diſtribuendas, uti & ipſi

ipſi canonici, quod Legitime peractum dinoſcitur, in perpetuum debeant atteſtari. Igitur Romanorum Pontificum in hoc negotio veſtigiis inherentes & ſcriptis autem tuis edocti, ad poſtulationem venerabilis & cariſſimi fratris noſtri *Petri* abbatis monaſterio *Nuwenburch*, & fratribus curiam *Harthuſen* cum univerſo territorio ſuo & decimis, prout ei contradita fuit & hucusque poſſederunt, libere & quiete perhenniter poſſidenda, auctoritate Dei omnipotentis & ejus genitricis ſemper virginis *Marie*, Beatorum quoque apoſtolorum *Petri* ac *Pauli*, ac omnium ſanctorum ac noſtra confirmamus. adijcientes, quod ſi qua de cetero civiles, vel eccleſiaſtica perſona jam dictum monaſterium cum fratribus inibi Deo & beate *Marie* famulantibus regulariter ſuper poſſeſſione grangie *Harthuſen* & decimatione ejusdem inquietare, vel moleſtare indebite preſumpſerit, omnipotentis Dei indignationem incurrat, & niſi reſipuerit, ipſius vindictam graviter ſentiat. ut autem hec confirmationis pagina firma permaneat & inconvulſa, ſigilli noſtri munimine eam juſſimus inſigniri, & legitimorum inſcriptione teſtium ſollempniter roborari. Acta ſunt hec in aula noſtra argentinenſi anno Dominice Incarnationis MCCIX. indictione XII, teſtes *Arnoldus* de *Mech* major prepoſitus, *Everhardus* Decanus, *Fridericus* Cantor, *Chunradus* de *Utelembruken*, *Rudolfus* de *Litenberch*, *Wolfradus* archidiaconi, *Bertholdus* de *Oſenſtein*, prepoſitus Honogenſis ex ordine nobilium, *Sygebertus* comes, *Heinricus* advocatus de *Huneburch*, *Heinricus* de *Kunisberch*. Ex ordine miniſterialium,

lium, *Wernherus* marſcalcus, *Rudolfus* vicedominus, *Burchardus* ſcoltetus & frater ejus, *Theodoricus*, *Burchardus* puer, *Burchardus* de *Lapidea porta*, & alii quam plurimi.

(a) Conf. cum charta a *Schöpflino* edita in *Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 320.*
(b) vide ſupra Noticiam datam circa an. 1130.

XCI.

CONCORDIA INTER EPISCOPUM CONSTANTIENSEM ET CIVES RUBIACENSES.

Ex codice S. *Blaſij* in nigra ſylva.

H*einricus* Dei gratia argentinenſis Epiſcopus univerſis praeſentes litteras inſpecturis ſubſcriptorum notitiam cum ſalute. Ea quae concordia aut judicio terminantur, ne in recidive contentionis ſcrupulum relabantur, expedit eadem ſcripturarum teſtimonio perhennari. Notum igitur facimus univerſis, quod honorabiles viri & praepoſitus totumque capitulum Eccleſiae conſtantienſis in cauſa quam contra cives noſtros rubeacenſes habuerunt, aut ſuper quibusdam poſſeſſionibus inter ripam dictam Ammentalbach & ſemitam dictam zegtorisbach in longum, & inter ripam dictam Sulebach & ſtratam ibidem publicam in Latum ſitis ob viri reverentiam omni actioni quoad promiſſas poſſeſſiones perpetuo ceſſerunt, omne jus, quod in dictis poſſeſſionibus eisdem

dem competebat, aut competere videbatur, in noſtram Eccleſiam, & in dictos cives noſtros rubeacenſes per ſuas litteras transferentes, ita tamen, quod via ſeu ſtrata ibidem nunc publica tranſiens omnibus per ipſam curribus, bigis, vehiculis, eques aut pedes ire volentibus perpetuo maneat libera & communis. quorum etiam fuit perpetuum ab utrisque promiſſum, & ne ſuper his aliisque dubietas aut quaeſtio inpoſterum ab aliquibus valeat exoriri, praeſentes Litteras ſcribi facimus, & ſigillorum noſtrorum & civium praedictorum rubeacenſium munimine roboratas dedimus eisdem praepoſito & capitulo praefatis in teſtimonium praemiſſorum permittendo ipſis propter reverenciam nobis exhibitam in promocione negociorum ſuorum & nunciorum, cum ſe totus ad id obtulerit grata viciſſitudine reſpondere. Datum argentinenſis Eccleſie apoſtoli. Anno Domini MCC, nono, Indictione XII.

XCII.

XCII.

WOLFRAMUS ABBAS WEISSENBURGENSIS IN GRATIAM ABBATIAE *NOVI CASTRI* OMNI JURI SUO IN JUS PATRONATUS ET DECIMAS ECCLESIAE *DECHENDORFF* RENUNCIAT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis. fol. 50. b.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Wolframus* divina diſponente gracia Wizeburgenſis eccleſie abbas tam preſentibus quam futuris in perpetuum. quum ea, que inter preſentes juſte & rationabiliter diſponuntur, ſucceſſiva temporum mutabilitate variis intervenientibus cauſis plerumque permutantur niſi autenticorum munimine inſtrumentorum ſollercius roborentur, neceſſarium duximus ſcriptis commendare, quo fine controverſia ſuper patronatu & decimis eccleſie *Dochendorff* inter nos & eccleſiam *novi caſtri* exorta ſopita dinoſcatur. ſi quidem cum coram judicibus a ſede apoſtolica per dom. *Petrum* venerabilem *novi Caſtri* abbatem contra nos impetratis (a) de jure patronatus & decimis prefate eccleſie *Dochendorff* plurimum fuiſſet allegatum, tandem hortatione ipſorum judicum nobis alternatim fuit conſultum, ut pro mutue pacis & fraterne caritatis conſervatione ad amicabilem, ſi fieri poſſet procederemus compoſitionem. Igitur communicato prudentum virorum conſilio, prehabita prius ammonitione atque permiſſione glorioſiſſimi Dom. noſtri

noſtri *Ottonis IIII.* Rom. Regis auguſti & venerabilis domini *Syfridi* Moguntine ſedis Archiepiſcopi, nec non Domini *Chunradi* ſpirenſis Epiſcopi, aule Imperialis Cancellarii, preterea quoque Domini *Heinrici* argentinenſis epiſcopi & ipſius argentinenſis chori & conſenſu tocius capituli noſtri in arbitros utrimque fuit compromiſſum. ſubſequenter vero mediantibus viris diſcretis hoc modo fuit arbitratum, ut videlicet prelibatus abbas *novi Caſtri* noſtri & eccleſie noſtre centum virginti ſex marcas examinati argenti pro redimendis Eccleſie noſtre redditibus, quos noſtri predeceſſores ex parte magna obligaverant, daret, nos vero a Lite cedentes, ne inpoſterum ſuper eo aliqua monaſterii *novi Caſtri* ſuboriri, ſive moveri poſſit queſtio, jus patronatus eccleſie *Dochendorff* cum univerſis decimis ac pertinentiis ſuis illic nobis attinentibus in perpetuum quiete ac Libere poſſidendas donavimus, privilegiis quoque & inſtrumentis, que ſuper his ſpecialiter habebamus, renuntiavimus. Ut autem hec pagina robur perpetuum habeat & inconvulſum, noſtri nunimine ſigilli atque capituli Wizenburgenſis eam fecimus inſigniri. Acta ſunt hec anno ab incarnatione Dom. M. CC.VIIII, epacta XII. indictione XII. concurrente III., Dom. *Innonentio* Romanorum Eccleſie preſidente, & dom. *Ottone* Rege Imperii gubernacula tenente. teſtes hii ſunt *Volmarus* Decanus, *Walterus* prepoſitus, *Ulricus* cuſtos, Item *Ulricus*, *Billungus Godefridus*, *Cuno Albertus*, *Ludewicus*, *Rupertus* & alii quam plures. Canonici de ſancto *Stephano*, *Hugo*, *Heinricus*, *David*, *Gebero*, *Lampertus*,

pertus, *Volmarus*, plebanus de *Veteri civitate*, *Syfridus* de *Stetembach*, ex ordine miniſterialium, *Diepertus* Scoltetus, *Chunradus* frater ejus, *Marquardus* & *Walterus* frater ejus, *hugo* de *Hunwilre*, *Chunradus fuz anſelmus*, *Burchardus de altingazzen* & *Heinricus* frater ejus, *herbortus*, *Heinricus Babez*, *Chuonradus* de *Sleigethal*, *Theodoricus* & alii plures de populo. amen.

(a) Judices illi ab *Innocentio III.* PP, delegati erant Abbas S. *Mathiae* Trevirenſis, Abbas de Clauſtro ejusdem Dioec. & Cantor Trevirenſis, impetrati per litteras dicti Papae datas *Laterani* V. Idus Maji Pontificatus anno decimo id eſt die XI. Maji 1208.

Sequuntur in eodem Chartulario aliae diverſorum in eandem rem Litterae, quarum hic extractum edere ſufficiet.

1. Fol. 51. verſo diploma IV. regis Romanorum, quo ad petitionem dilecti noſtri *Petri* venerabilis *novi Caſtri* abbatis confirmat praecedentem ſuper patronatu & decimis eccleſie *Dochendorf* compoſitionem. teſtes ſunt *Chunradus* ſpirenſis epiſcopus, & imperialis aule Cancellarius, *Otto* Wirciburgenſis epiſcopus, *Henricus* palatinus comes Rheni, comes *Emicho* de *Liningen*, *Wernheherus* de *roſewong*, & filius ejus *Albertus*, *Rudolfus* de *Kiſilowe*, *heinricus* Marſchalcus de *Kallatin*, *Cuno* de *Mincinberc*, *Walterus* pincerna de *Rotingin* & alii quam plures. Datum apud *Wirciburg*, an. incar. dom. M. CC. VIIII. indictione XII. pridie Kalendas junij. amen.

2.

2. Fol. 52. Litterae, quibus *Syfridus* Dei gracia ſancte Maguntine ſedis Archiepiſcopus dilectis ſuis *P.* abbati & fratribus monaſterii *novi Caſtri* eandem confirmat. Datum *Moguntie* XVII. Kal. aprilis, tempore dom. *Innocentii* Pape tercii, pontificatus ejusdem anno XIII.

3. Fol. 52. Litterae, quibus *Chunradus* Dei gracia ſpirenſis epiſcopus, imperialis aule Cancellarius eandem compoſitionem ratam declarat. datum apud *Spiream* an. incar. dom. M. CC. VIIII. idibus Maij. teſtes *Otto* major prepoſitus, *Chunradus* Decanus, *Andreas* Scolaſticus *Chunradus* de *Schemaze*, *Chunradus* camerarius prepoſitus S. *Andreae*, *Fridericus* Cellerarius *Bertholdus* prepoſitus *omnium ſanctorum* & alii quam plures. Miniſteriales *Anſelmus* advocatus, *Anſelmus* de *Bazendorff*, *Chunradus* de *Berge*, *heinricus* de *Nitfere*, *Egeno* de *Kirwilre*, *Chunradus* de *Dulzveld*, *Theodericus* pincerna & alii quam plures. pax Dom. amen.

4. Fol. 52. verſo. Litterae, quibus *Hugo* miſeratione divina hoſtienſis & velletrenſis epiſcopi & *Leo* titulo S. *Crucis* in *Jeruſalem* presbiter Cardinalis, apoſtolice ſedis legati, praedictam transactionem legationis auctoritate confirmant. datum apud *Rodenburch* III. idus junii, pontificatus dom. Pape *Innocentii* III. anno XII.

5. Fol. 53. Charta, qua *Heinricus* divino munere argentinenſis epiſcopus - - - ad peticionem dilecti fratris domini *Petri* venerabilis *novi Caſtri* abbatis eandem confirmat. datum apud *argentinam*

in

in domo epiſcopali anno ab incarn. dom. M. CC. VIIII, epacta XII. concurrente III. indict. XII. nono Kal. Maij. teſtes *Arnoldus* major prepoſitus, *Everhardus* decanus, *fridericus* Cantor, *Rudolfus* archidiaconus, *Berengerus* archidiaconus, *heidenricus* majoris eccleſie canonicus, *Hermannus* canonicus & Dapifer, *Ulricus* de *Hofewilre*, *Wolfradus* archidiaconus, *Dietelmus* canonicus. ex ordine militum, *rudolfus* vicedominus *Burchardus* ſcoltetus, *Godefridus eydelare*, & *hupertus* frater ejus, *Theodericus Steijlin* & fratres ejus, *Albertus* & *Ludewicus*, *albertus beigere*; de civitate vero *burchardus* de *Heineim*, *fridericus ſpendere*, *Erbo rietere*, *rudolfus Zolnere*, *Chunradus Firnikorn*, *Seinboldus Kalp*, *burchardus lugelin*, pax Domini amen.

6. Fol. 54. Charta, qua *arnoldus* argentinenſis eccleſie divina miſeracione major prepoſitus, *everhardus* decanus, *fridericus* cantor & totum capitulum . . . ad peticionem dilecti confratris domni *Petri* venerabilis *novi Caſtri* abbatis eandem confirmant. datum apud *argentinam* in domo epiſcopali, anno ab incar. Dom. M. CC. VIIII. epacta XII. concurr. III. indict. XII. nono Kal. Mayi, iidem teſtes, qui in praecedenti nominantur.

7. Fol. 55. Charta, qua *Heinricus* divina favente clementia argentinenſis Epiſcopus . . . auctoritate pontificali, conſilio quoque prelatorum ac fratrum, ordinat ut de cetero vacante eccleſia de *Dochendorff* abbas *novi Caſtri* plebanum ſacerdotem nunquam alibi, ſed ibi reſidentem & moribus honeſtum illic conſtituat. . . atque abbas de dote

&

& decimis, & omnibus que ad eccleſiam pertinebant, ſe intromittat, ſtatuitque annuatim plebano penſionem ab ipſo abbate ſolvendam. acta ſunt in palatio noſtro *Argentine*, an. ab incarn. Dom. M.CC. VIIII. indict. XII. teſtes hujus rei, *Eberhardus* Decanus, *Fridericus* Cantor & cuſtos, *heringerus*, *rudolfus*, *Wolfradus* archidiaconi, *Bertholdus* Cammerarius & prepoſitus *honaugie*, *Reinhardus* portarius, *hermannus* dapifer, *Ulricus* de *Hovewilre heindinricus*, *dietelmus*, *Chunradus* Cellerarius, *heinricus* de *geroltisecke*, *heringerus* de *Albecke*, *eberhardus* de *jungingen*, de liberis fidelibus noſtris, *Heinricus* advocatus de *huneburc*, *otto* de *Oſſenſtein*, de miniſterialibus, *rudolfus* vicedominus, *dietericus Steilin*; de burgenſibus *burchardus* de *Ebenheim*, *fridericus* diſpenſator, *Erbo* judex & alii plures.

8. Fol. 55. verſo. bulla *Innocentii* III. pape compoſitionem initam de eccleſia *Dangendorffenſi* dilectis filiis abbati & conventui *novi Caſtri* confirmantis. datum *Laterani* III. Kal. januarii, pontificatus noſtri anno XII.

9. Fol. 56. bulla *Honorii*, qua abbati & conventui *novi Caſtri* . . . conceſſionem eccleſie de *dochendorff* a venerabili fratre argentinenſi epiſcopo de conſenſu capituli ſui dicto monaſterio factam confirmat. Datum *Laterani* III. kal. aprilis pontificatus noſtri anno tercio.

10. Fol. 56. Bulla *Honorii* eisdem confirmantis compoſitionem initam cum abbate weiſſenburgenſi. Datum *Laterani* XII. kal. januarii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

11. Fol. 56. verſo. Charta, qua *Cunradus* Dei gratia Metenſis & ſpirenſis epiſcopus, Imperialis aule cancellarius & tocius Italiae legatus teſtatur quod dilectus *Chunradus* de *Tan* prepoſitus S. *Andree* in *Wormatia* reſignationem eccleſie *Dochindorff* cum cura animarum per Venerabilem *A. novi Caſtri* abbatem miſit in manus Domini *H.* Dei gratia argentinenſis epiſc. & dom. *R.* Choriepiſcopi de *Lichtinberch* . . . datum *Spiree*, VI. kal. Novembris. acta ſunt hec anno ab incar. Dom. M.CC. XXII. coram his teſtibus abbate de *Hemminrode* prepoſito majoris eccleſie ſpirenſis & aliis quam pluribus.

12. Fol. 56. verſo. Charta inſcripta Reverendo & in Chriſto dilecto patri & dom. *H.* Dei gracia argentin. epiſcopo, qua *C.* prepoſitus de *Than* eidem ſignificat ſe reſignaviſſe eccleſiam in *dochindorf* in manus Venerabilis dom. *A. novi Caſtri* abbatis & confratrum ſuorum ad quos etiam jus patronatus ejusdem eccleſie cum omnibus appendiciis ſuis pertinere dinoſcitur, curamque animarum eidem annexam, rogans eundem epiſcopum venerabilemque dominum *R.* chori epiſcopum de *Lichtinberg* tanquam loci archidiaconum quatinus eandem curam clerico, quam *novi caſtrenſis* abbas, preſentaverit commendent, . . acta ſunt hec anno ab incarnat. Dom. M. CC.XXII.

XCIII.

XCIII.

SIGEBERTUS DE *WERDA* ABBATIAE *NOVI CASTRI* CONCEDIT PALUDEM JUXTA CURIAM *HARTHAUSEN*.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae novi Caſtri fol. 45. 6. (a)

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego *Sygbertus* Landgravius Alſacie in perpetuum. Notum fieri volumus tam preſentibus quam futuris, quod pro remedio anime mee & conjugis atque filiorum meorum *Heinrici* & *Hugonis*, nec non & parentum meorum, ad petitionem quoque dilecti amici noſtri noſtri *Petri* venerabilis abbatis *novi Caſtri*, paludem quandam juxta curiam *Harthuſen* ſitam cum territorio adjacenti Deo & beate *Marie*, & fratribus apud *novum Caſtrum*, ſub regulari diſciplina Deo famulantibus, ſub annuo cenſu in perpetuum donavi videlicet & in feſto ſancti *Nazarii* dimidiam libram cere ad altare *Brumat*, & duos Cappones in curiam noſtram Dominicalem. Porro termini iſtarum poſſeſſionum ſunt a via aquoſa, que de *Schweichuſen* ducit verſus *Scefelsheim* usque ad ſtratam publicam, que de *Hagenowa* ducit verſus *Hochwelden*, & in parte altera usque rivulum *Ropach*, & ſic usque ad nemus antiquum, quod curie *Harthuſen* adjacet. Datum apud *Brumat* per manus noſtras & filiorum meorum *Heinrici* & *Hugonis*, anno verbi incarnati MCCX, indictione XIII. teſtes *Godefridus* plebanus *Heinricus* de *Vorlach*, *anſelmus* de *Bazendorf*, *Godefridus* de *Wizenburch*, *Ditterus*, *Reinberus*,

berus, *Harctungus*, *Nibelungus*, *Walterus* frater ejus, & alii quam plures.

(a) Conferatur cum eadem charta a *Schöpflino* edita *Alſat. Dipl. Tom. I. pag. 321.*

XCIV.

INNOCENTIUS III. PP. PERSONAS ET BONA MONASTERIJ MARBACENSIS IN SUAM PROTECTIONEM RECIPIT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

I*nnocentius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis prepoſito & fratribus eccleſie Marbacenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem — Sacro ſaucta Romana Eccleſia devotos & humiles filios ex aſſnete pietatis officio propenſius diligere conſuevit, & ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquam pia mater ſue protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis precibus inclinati perſonas veſtras & univerſa bona, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, dante domino, poteritis adipiſci ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus; ſpecialiter autem octavam partem decimarum cum jure patronatus eccleſie in *Herlicheim*, curtes in *Weggeltheim*, in *Rimbach*, in *Gandolisheim*, in *Wurtmuleim*, in *Phaffinheim*, in *Gebelibeswilre*, in *Hadiſtat*, in *Vochel-*

Vochelmisheim, *Mobswilre*, in *Reitholce*, in *Egensheim*, in *Wetelsheim*, in *Sulzpach*, in *Brumatin*, in *Colmere*, in *Kancendale*, in *Ongisheim*, in *Keſtenholz*, in *Crebisheim* ſuperiori & inferiori, in *Biſchoviſheim*, in *Tubikein*, in *Kuminiheim*, in *Huſey*, in *Gruzenheim*, in *Elſesheim*, in *Argentina*, cum omnibus pertinentiis earundem & alia bona veſtra, ſicut ea juſte ac pacifice poſſidetis, vobis & per vos eccleſie veſtre auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Inhibentes, ne quis clericus vel converſus monaſterii veſtri de poſſeſſionibus ejus propria temeritate alienare preſumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis, confirmationis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Laterani* IIII. nonas julij, Pontificatus noſtri anno quarto decimo.

XCV.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS MONACHOS S. *VALENTINI* IN *RUFFACH* AB OMNI CENSU LIBERAT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis in Palatio Argentinenſi.

Notum ſit omnibus tam preſentibus quam futuris, quod ego *Heinricus* argentinenſis Epiſcopus

pus intuitu Dei & ob venerationem ſanctae Matris ejus virginis glorioſae *Mariae* monachos *Rubeacenſis caſtri* ab omni Cenſu, quem annuatim epiſcopatui debebant, relaxavi, & quoniam anteceſſor meus *Conradus* Epiſcopus ipſum caſtrum muniens vineas eorum muro ipſius caſtri adjacentes extirpavit, ad reſtitutionem damni ejus illati annuatim cenſum, ſive conſolationis munus plenarie eis indulſi. ne quis vero de Caetero ſuper hoc eos gravare preſumat, ſigilli mei atteſtatione hoc factum roborare decrevi. huic facto intererant milites miniſteriales argentinenſis Eccleſie, *Dietbericus Knafo* & frater ejus *Ulgoti*, *Rudolphus* de *Liebingen*, & fratres de *Pfaffenbeim*, *Henricus* & *Rudolphus*, & alii quam plures tam Laici quam Clerici, ab Incarnatione Domini M.CC.XI.

XCVI.

DONATIO VINEARUM IN *EHINHEIM* ABBATIAE REGIOPONTANAE FACTA.

Ex Rotulo Abbatiae Regiopontanae.

Quia minus honeſta turba detrahentium divellere nititur pia facta diſtribuentium, Ego *Wolfanus* argentinae civitatis Urbanus notum facio tam praeſentibns quam futuris, quod beatiſſimae Dei genitrici in *Regisponte* ſeptem jugera vineae in *Ebinbeim* pro remedio animae meae & uxoris meae *Demuetis* donavi, de quibus annnatim praetaxatae Eccleſiae quinque omas vini & dimidium dari

dari conſtitui, ut autem hoc factum inconvulſum maneat, ſigillo majoris Eccleſiae cedulam praeſentem oneravimus. hujus rei teſtes ſunt, *Fridericus* de *Entringen*, *Ruſchardus* de *Ebenheim*, *hedenricus* Canonicus, *Rudolphus* vicedominus, *hugo* Dorfman, *Sigebertus* in *Ulenſtein*, *Fridericus cleine gedane*, *Gerlacus Rudolfus* ſcultetus de *Vegirsheim* & alii quam plures. Acta ſunt haec anno ab Incarnatione Domini M.CC.XI.

XCVII.

INSTRUMENTUM QUO *HENRICUS* EPISCOPUS ARGENTINENSIS COLLAUDAT CONCAMBIUM INTER S. *BLASIUM* ET BURGGRAVIUM OB AREAM PROPE PORTAM BOUM.

Heinricus Dei gratia argentinenſium Epiſcopus. Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam praeſentibus quam in aevum ſucceſſuris, quod cum *Burchardus* Burgravius a Venerabili abbate *Hermanno* & ff. Coenobii S. *Blaſii* pro curte eorum prope monaſterium ſita, quam idem *B.* diu juſte poſſederat, impeteretur, & in cauſam traheretur, tandem deliberato conſilio inter ſe pro bono pacis concambium fecerunt; videlicet, quod fratres jam dicti coenobii partem curiae eorum *B.* praefecto & ſuis haeredibus perpetualiter habendam contulerunt, pro cujus doni recompenſatione praedictus *B.* aream ſuam juxta portam boum liberam & ſi-

ne contradictione alicujus perſonae de conſenſu & per manum filiorum ſuorum fratribus jam dicti Coenobii tradidit poſſidendam, ita tamen, quod in Cameram eccleſiae majoris annuatim XII. denarii pro redemtione curiae eidem *B.* perſolvantur. ut autem haec, quae coram nobis juſte & rationabiliter ordinata ſunt, inpoſterum firma & inconvulſa permaneant, praeſens ſcriptum fieri, & ſigillo noſtro aç noſtrae civitatis fecimus communire. Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis MCC.XI.

XCVIII.

FRIDERICUS II. REX ROM. ABBATIAE NEOCASTRENSI ALLODIUM *HARTHUSEN* CONFIRMAT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 46.

F*ridericus ſecundus* divina favente clemencia Romanorum Rex & ſemper auguſtus, & Rex ſicilie, omnibus in perpetuum. ne ea, que ex mera inclitorum predeceſſorum noſtrorum divorum regum & Auguſtorum Romanorum munificentia locis religioſis juſte collata ſunt & confirmata pro temporis interpoſita malicia ab emulis pacis & quietis perſecutoribus vim aliquam pati debeant vel repulſam debitam a ſerenitate noſtra merentur recipere confirmationis ac protectionis firmitudinem. ea propter univerſis hanc paginam in-

inſpecturis fidelibus Imperii tam preſentibus quam futuris preſentium certitudine volumus declarari, quod nos ex innata nobis regia largitate conſiderantes religionem venerabilium in Chriſto fratrum abbatis & confratrum cenobii *novi Caſtri*, animadvertentes etiam gratiam dilectionis & familiaritatis quam ipſi ſuis fidelibus obſequiis & continuis orationibus apud illuſtrem patruum noſtrum bone memorie *Philippum* Romanorum regem ſuis promeruerunt temporibus, pro ſalute noſtra ad honorem Dei & ad remedium animarum omnium progenitorum noſtrorum de conſilio & ad inſtantiam dilectorum fidelium noſtrorum *Chunradi* Metenſis & ſpirenſis epiſcopi, Imperialis aule cancellarii, atque *Dietrici* venerabilis Trevirenſis Archiepiſcopi electi, & *Wolframmi* wizenburgenſis abbatis & *Wernheri* de *Bonlant* regis aule Dapiferi & aliorum plurimum prelibate eccleſie *novi caſtri* & perſonis ibidem Deo famulantibus recognoſcimus, donamus atque legamus & in perpetuum regali auctoritate confirmamus atque in noſtram recipimus protectionem allodium in *Harthuſen* cum introitu & exitu & omnibus attinentiis ſuis, ſive ſit in pratis, ſive in agris aut ſilvis, ſicut idem predium memorato Loco prefatus patruus noſter *Ph.* rex noſcitur liberaliter tradidiſſe, & ſicut fratres cenobii illius muris & ſepibus, ſive foſſatis illud denotaverunt. &c. &c. Datum apud *Hagenowe* anno ab incarnatione Dom. M.CC.XII. Indictione prima, VIII. kal. februarii.

XCIX.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS COMPONIT QUAESTIONEM INTER ABBATEM *NOVI CASTRI* ET PLEBANUM IN *INGWEILER.*

Ex tabulario membranaceo Abbatiae Neo Caſtrenſis fol. 36.

Heinricus divina favente clementia argentinenſium Epiſcopus. notum eſſe volumus tam preſentibus qum futuris, quod cum dilectus ac venerabilis confrater noſter *Petrus* abbas *novi Caſtri* primum cepiſſet grangiam conſtruere in Loco, qui dicitur *Wiminowe*, *Chuonradus* plebanus de *ingewilre* in Synodo noſtra abbati & ipſi monaſterio ſuper quibusdam decimis queſtionem movit, ex eo quod agri quidam olim dicebantur exculti fuiſſe, licet autem prefatus abbas ex indulgentia Romani pontificis ſe plenius tueri potuiſſet ſuper earundem perſolutione decimarum, tamen pro bono pacis inter monaſterium *novi Caſtri* & dictam eccleſiam conſervando, bonorum virorum conſilio diffinitum eſt & in Synodo noſtra publice declaratum, ut ſingulis annis fratres *novi Caſtri* plebano de *ingewilre* & ſuis in perpetuum ſucceſſoribus de predicta grangia quatuor quartalia ſiliginis perſolvant. Ne igitur hoc factum aliqua poſſit umquam vel debeat occaſione irritari preſentem inde paginam conſcribi, noſtrique impreſſione ſigilli fecimus communiri, His teſtibus domino *Reinhardo* majore prepoſito, *Friderico* Cantore, *Wolf-*

Wolfrado archidiacono, *Rudolfo* archidiacono, *Bertboldo* Honaugienſi prepoſito, *Garſilio* abbate novillarenſi, *Friderico* camerario, *Heinrico* cuſtode & aliis quam pluribus an. Dom. incarn. MCC XII. indictione XV.

C.

CAPITULUM LUTENBACENSE FRATERNITATEM INTER MARBACENSEM ET SCHWARTZTHANNENSEM ECCLESIAS INSTITUENS HUIC MONASTERIO *SCHWARTZTHANN* DECIMAS QUASDAM REMITTIT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Heinricus* prepoſitus, *Geroldus* Decanus, totumque capitulum Lutenbacenſis eccleſie preſentes & poſteros ſcire volumus, quod cum Eccleſia de *Swarcbendan* infra terminos Lutenbacenſis Eccleſie *Sulzmate* ſita ſit, & ratione terminorum decimas nobis perſolvere teneatur, queſtione ſuper hoc ſepius mota, tandem ad preces & inſtantiam Marbacenſis Eccleſie, intuitu divine retributionis, & mutue fraternitatis, in hoc finaliter & una voce convenimus, ut pro omni decima prediorum infra duas vias altenwege videlicet & zerzedal ſitorum, usque ad pedem montis agro vicino incluſo annuatim eccleſia de *Swarbendan* prepoſito

to Lutenbacenſi dimidiam marcam in feſto ſancti *Martini* perſolvat, ita quod prepoſitus quartam partem illius dimidie marce plebano de *Sultzmate* pro] ſua parte tribuat. Si autem Eccleſia de *Schwarbendan* predictos terminos in aliqua cultura transgreſſa fuerit, debitas & conſuetas decimas inde dabit. De nutrimentis vero animalium, ubicunque in valle fuerint, tres agnos vivos prepoſito Lutenbacenſi, quartum plebano de *Sulzmate*, in paſcha dare debebit. In hoc autem omnes Canonici Lutenbacenſes conſenſerunt, ut tam eccleſia marbacenſis, quam eccleſia de *Swarchendam* ipſos tam vivos, quam mortuos in orationibus ſuis tanquam ſuos fratres ſpecialiter habeant in perpetuum commendatos, & noſtra Eccleſia predictis Eccleſiis vice verſa in orationibus reſpondebit. Et quia noſtra eccleſia cum illis ab antiquo eſt colligata, in conſilio & auxilio omnium negotiorum & neceſſitatum ſibi mutua viciſſitudine teneantur. Acta ſunt hec publice in capitulo Lutenbacenſis eccleſie, anno Domini M.CC.XII, preſentes & conſentientes fuerunt canonici Lutenbacenſes, *heinricus* prepoſitus, *Geroldus* Decanus, *Johannes* Camerarius, *Heſſo* Scholaſticus, *Rudolfus* Cantor, *Bertholdus* Cellerarius, *Wernherus*, *Baldemarus*, *Hugo*, *Albertus*, *Craphto*, *Ulricus*, *Petrus*, *Heinricus*, *Wildo*, *Johannes*, *Felicitas*, *Vezelo*, Canonici marbacenſes, *Petrus* prior, *Burchardus* Cellerarius & cuſtos de *Swarchendan*, *Otto* Magiſter, *heinricus* plebanus ſancti *Gregorii*. hec autem, ut inpoſterum rata permaneant, Epiſcoporum Domini *Lutoldi* Baſilienſis, Domni *Heinrici* argentinenſis, *hein-*

heinrici prepoſiti Lutenbacenſis, ejusdemque ecclesie ſigillis preſentem paginam roborari dignum duximus.

CI.

FRIDERICUS II. REX ROM. JURA SUA IN ADVOCATIJS MONASTERIORUM CELLAE S. *ULRICI* ET IN *SELDEN* ATQUE IN BONIS SITIS IN *RIEGEL* ET *HERBOLTZHEIM HENRICO* EPISCOPO ARGENTINENSI RESIGNAT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis. (a)

F*ridericus ſecundus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus, & Rex ſicilie. Decet regalem eminenciam ſuorum fidelium juſtis poſtulationibus inclinari, & beneficio ſui autentici ea que rationabiliter acta ſunt, roborare. Inde eſt, quod nos ad noticiam omnium tam preſentis etatis, quam in eorum ſucceſſure poſteritatis pervenire volumus, quod nos ad ſopiendum omnem diſcordie ſcopulum qui inter fideles noſtros *H.* (b) argentinenſem Epiſcopum, & *B.* Ducem *Zaringie* vertebatur occaſione noſtra, & ut etiam inter ipſos plena amicitia reformaretur, juri noſtro, quod habere videbamur in omnibus poſſeſſionibus quondam a pie memorie (c) argentinenſe Epiſcopo emptis a comite *B.* (d) de *Nubenburc*, videlicet in advocatia *ville mareſcelle* (e), & in advocatia *Sel-*

Selden (f) & in curti *Riegol* (g), & in curti *Herbottsheim* (h). & in advocatiis earundem eccleſiarum & aliis quibuslibet poſſeſſionibus & advocatiis, in quibus aliquid juris habere videbamur occaſione cujusdam donationis olim a memorato comite venerande memorie patri noſtro facte, ex certa ſcientia renunciavimus, & dicto *H.* Epiſcopo & Eccleſie argentinenſi in perpetuum reſignavimus, omnem juſtitiam & jurisdictionem pretaxatarum poſſeſſionum & advocatiarum cum omnibus pertinentiis ſuis argentinenſi Eccleſie in perpetuum confirmantes, ad cujus rei perennem memoriam preſentem paginam conſcribi juſſimus, & majeſtatis noſtrae bulla conſignari. Teſtes hujus rei ſunt *videricus* Treverenſis archiepiſcopus, *Cunradus* conſtantienſis Epiſcopus, *Waltherus* Baſilienſis electus, *Otto* Dux meranie, comes *Sigebertus* de *Werda*, & filius ejus (i) comes *Heinricus* de *Gemino ponte*, *Heinricus* de *Kungesperc*, *Fridericus* de *Schouwenburc*, *Waltherus* pincerna imperii & alii quam plures. Signum Domini *Friderici* Romanorum Regis invictiſſimi. Ego *Cunradus* ſpirenſis & Metenſis Epiſcopus, Imperialis aule cancellarius vice domini *Sifridi* Maguntine ſedis archiepiſcopi, & tocius germanie archicancellarii recognovi. Actum anno Domini M.CC XIII. regnante domino *Friderico* Romanorum Rege glorioſo, anno regni ejus ſecundo. Datum apud *Baſileam* XI. Kalendas Decembris, Indictione vero prima.

(a) Confer. cum charta eadem a *Schöpfflino Tom. I. pag. 324.* edita.

(b)

(b) *Henricus* de *Veringen.*

(c) *Bertoldus* V. Ducum Zaringiae ultimus, qui an. 1218. *Friburgi* Brisgoviae obijt.

(d) *Bertholdus.*

(e) Hodie Prioratus S. *Udalrici* Abbatiae S. *Petri* unitus.

(f) *Selden* ſive *Seleden* fuit coenobium Monialium ordinis Cluniacenſis ſitum in nigra ſylva a *Geraldo* nobili an. 1115. fundatum, ut teſtatur charta apud *Mabillonium Annal. Ord. S. Benedicti T. V. pag. 694.* Seldenſe Monaſterium Abbatiae S. *Petri* in nigra ſylva an. 1598. conjunxit *Clement* VIII. PP.

(g) *Riegel* in Brisgovia prope *Endingen* in via, quae ducit ad *Kentzingam.*

(h) *Herboltzheim* Brisgoviae vicus, leuca a *Kentzingen* diſtans, in Ballivatu Kirnbergenſi. Dimidia decimarum parte titulo feudali a ſummo Capitulo Argentinenſi accepta gaudent DD. *Schmid* de *Brandenſtein.*

(i) *Henricus ſigeberti* filius.

CII.

CII.

THEOBALDUS DUX ET MARCHIO LOTHARINGIAE DONATIONEM JURIS PATRONATUS IN *REICHHOFEN* ET ALIORUM BONORUM ABBATIAE STÜRZELBRONNENSI FACTAM CONFIRMAT.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Ego *Th.* (a), Dux Lotharingiae, & marchio filius *frederici* Ducis ejusdem provincie a tramite generoſitatis paterne nolens deviare, quin imo rogatum ejus & monita juxta modulum mee poſſibilitatis cupiens exaudire, munificentiam elemoſinarum, quam pro remedio anime ſue & parentum ſuorum ecclesie ſancte *Marie* in *Sturzelbrone* aſſenſu meo & aſtipulatione contulit, ratam & inviolatam perpetuo fore decrevi, & augere pro poſſe, rei quoque veritatem poſteris declarare, ne forte, ut aſſolet, diuturnitas oblivionem oblivio errorem, error pariat contentionem. Notum ſit igitur omnibus tam futuris quam preſentibus quod pater meus *Fridericus* Dux Lotharingie pro remedio anime ſue & parentum ſuorum contulit ſancte *Marie* in *Sturzelbronne* & fratribus ibidem Deo famulantibus jus donationis fundi ac patronatus Eccleſie in *Richeshoven* (b) totaliter & integre, & novam curiam *Dannestege* & molendinum ſub *bites*, & allodium in *Sölzbach* ſine omni Calumpnia in perpetuum libere poſſidendum. In hujus

hujus ſiquidem rei teſtimonium preſentem paginam cum ſigillo patris noſtri noſtrum ſigillum appoſuimus. Actum anno Incarnationis Dominice M.CC.XIII. menſe Decembri, VI. kal. januarii.

(a) De *Theobaldo* ſic ſcribit *Albericus* in Chronico ad annum 1213. = moritur Dux Lotharingiae *Fridericus* ſecundus, poſt feſtum S. *Remigij*, poſt quem factus eſt Dux Moſellanorum & Lotharingiae *Theobaldus*, qui per uxorem ſuam *Gertrudem* filiam Comitis *Alberti* Comitis Dasburgenſis fuit etiam Comes de Dasburg. Iſte comes *Theobaldus* formoſiſſimus fuit omnium hominum exiſtentium in illa provincia vel in aliis multis. =

(b) *Reichshofen* oppidum, quod ab Imperatore *Franciſco* I. Duce Lotharingiae an. 1761. coemit D. de *Dietrich*, qui ibidem gaudet jure patronatus in parte banni dicti *Reichshofen*, quae dicitur pars ſtürtzelbronnenſis. Dicta Abbatia habet duos trientes decimarum.

CIII.

FRIDERICUS II. REX ROM. PROHIBET NE *ARGENTORATI* HABEANTUR JUDICIA TEMPORALIA, NEQUE BONA, QUAE DICUNTUR ALMENDE, CONFERANTUR NISI DE CONSENSU ET MANU EPISCOPI.

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis. fol. 3. (a)

Fridericus ſecundus Dei gracia Romanorum Rex & ſemper auguſtus, & Rex ſycilie. contro-

 ver-

verſie, ſeu lites fidelium noſtrorum ſicut alioquin coram nobis dirimuntur, ne id protractu temporis in irritum deducatur, aut fiat obliviofum, ſcripture teſtimonio duximus neceſſarium commendare. quapropter univerſis Imperii fidelibus, preſentibus & futuris, notum facimus, quod cum inter dilectum principem noſtrum *H.* argentinenſem Epiſcopum & ipſius civitatis burgenſes pro quibusdam juſticiis & rationibus in civitate habendis, quedam exorta fuiſſet diſſenſio, & utraque partium ſuper hiis ad examen judicii noſtri proclamaſſet, talis coram nobis, & ſub frequentia principum & magnatum Imperii, pro jam dicto Epiſcopo Lata fuit ſententia, quod nullus in civitate argentinenſi conſilium inſtituere debeat, vel aliquod habere temporale judicium, niſi de conſenſu & bona voluntate ipſius Epiſcopi & ejus conceſſione. ad hec etiam pro eodem Epiſcopo ſententia talis lata fuit pro terris illis in civitate, ſive extra, que vulgo nuncupantur almende, quod nullus hominum illas terras habere debeat, vel ſibi ex eisdem aliquid vendicare, niſi de manu Epiſcopi qui ipſas terras ab Imperio, & de manu noſtra ſe tenere recognoſcit. ut autem hec, que predicta ſunt perpetuum robur obtineant, & a nullo unquam in irritum deducantur, preſentem exinde paginam conſcriptam ſigillo noſtro Juſſimus communiri. hujus rei teſtes ſunt, *Conradus* Metenſis & ſpirenſis Epiſcopus, Imperialis aule cancellarius, *Waltherus* Baſilienſis Epiſcopus, *Ulricus* abbas ſancti *Galli*, *Conradus* abbas augenſis, *Ludovicus* Dux Bavariae *Hermannus* Marchio de *Baden*,

Baden, Comes *Sybertus* de *Werda*, comes *Ulricus* de *Quiburc*, comes *Lodwicus* de *Wirtemberc*, *Hartmannus* marchio de *Dilingen*, comes *Henricus* de *Berge*, comes *Fridericus* de *Zolre*, & alii quam plures. Datum apud *Rotweil*, anno Dominice incarnationis Milleſimo ducenteſimo decimo quarto. Nonis marcii, indictione ſecunda.

(a) Confer. cum eadem charta edita apud *La Guille hiſtoire d' Alſace preuves pag. 35.* & *Schöpflin Alſat. Diplom. Tom. I. pag. 326.*

CIV.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS ORDINAT, UT MOMASTERIUM S. *LEONARDI* PRAEPOSITURAE ARGENTINENSIS ECCLESIAE SIT ANNEXUM.

Ex autographo tabularij Collegiatae S. *Leonardi*. (a)

Heinricus Dei miſeratione argentinenſis Epiſcopus, cum in dyoceſi noſtra locus coenobii, qui ſancti *Leonardi* dicitur, ex incuria & negligentia ibidem hactenus amminiſtrantium ad tantam paupertatem evenerit, ut tam religio, quam perſone, inopie neceſſitate urgente, omnino defecerint, Nos eidem Loco providere volentes, ac reſtaurationi ſummopere ſtudentes, communicato abbatum noſtre dyoceſis aliorumque prudentum conſilio, nec non Capituli noſtri conniventia ſpeciali, etiam de conſenſu dilecti confratris noſtri Decani, ad quem inſtitutio pertinebat abbatis, kariſſimo confratri

noſtro *Reinbardo*, ejusdem eccleſie noſtre majoris prepoſito, jus inveſtiture aſſignavimus ſub ea forma, ut quod hactenus decanatui de caetero prepoſiture ſit annexum, quod onus in ſuorum remiſſionem peccaminum, nec non ad promovendam divinam miſericordiam gratia reformandi loci bona fide ipſe prepoſitus ſuſcepit. in futurum autem nos ſimile periculum ſollicita pertractione precavere volentes, ſepedicto prepoſito contulimus, ut libera tam amminiſtratio, quam ordinatio ſuper divino ſervitio ad ipſum ſine cujuslibet reclamatione pertineat vite ſue tempore, ne quod ipſe divinitus aſpiratus de non eſſe ad eſſe, divina favente clementia, induſtria, expenſis, multoque Labore in ſtatum bonum reduxerit, alterius ſive in ſolentia, ſive negligentia iterato adnichiletur. ut autem hec firmum robur obtineant, ſigilli noſtri impreſſione muniri fecimus. Acta ſunt hec preſentibus *Friderico* cantore, *Marco* Scholaſtico, *Hermanno* portario, *Volrico* Dapifero, *Dietbelmo*, *Heidenrico*, *Richardo* & aliis quam plurimis. Anno verbi incarnati MCCXIV.

(a) Conferatur cum charta apud *Schöpflinum Alſat. Dipl. Tom. I. pag.327.*

CV.

CV.

FRIDERICUS II. ROM. REX DONATIONEM TREDECIM HOMINUM MONASTERIO *KÖNIGSBRÜCKEN* FACTAM ROBORAT.

Ex autographo Abbatiae Regiopontanae.

F*ridericus ſecundus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus & Rex ſicilie. quod in noſtro preſens aetas diſponit tempore ſucceſſorum de facili protentatur livoribus, ſi non per Litterarum vel teſtium dignoſcitur memoriam aeternari. Innoteſcat ergo praeſentibus & noſcant poſteri, quod *Marquardus* Canonicus Eccleſiae S. *Arbogaſti* in *Sturburc* mundi tranſitorii monitum deliberans & advertens, XIII. homines nutu Dei nec non jure haereditario ſibi attinentes *Künigesbrüken* tam pro parentum ſuorum quam ſua ſalute obtulit oportune talis tenoris mediante copula, quod eo degente omni hebdomada in tertia feria pro peccatis Miſſa celebretur memorialis, poſt deceſſum vero ejus in praefata die Miſſa pro requie defunctorum perenniter offeratur; Sed ſi feſtum ſupervenerit in ſequenti die ſuppleatur. glorioſiſſimus vero Romanorum Rex *Fridericus* tam inſpirante Domino quam praedicti *Marquardi* interventu qui ſe miniſteriale Regis, ſi non religio clericalis defenderet, aſſerebat praelibatos homines ſub jurisdictione coenobij S. *Mariae* in *Künegsbrück* ſine calumnia poſſidendos dignatus praeſentem paginam Bullae regalis munimine roborare. Conditionem hujus teſtamenti atteſtantur *Conradus* Cancellarius. *henricus*

ricus argentinenſis Epiſcopus, *Richardus* camerarius, *henricus* & *hermannus* camerarii, *Seifridus* & *fridericus* Mareſcalcus *Godefridus* Scultetus, *fridericus* advocatus de *Haguenau*, *hildebrandus*, *Rudegerus*, *Wolfelinus*, *Otto* notarii, *Wolfelinus* cellerarius, *Sifridus* & *Walterus* de *Gottertheim*. Actum publice a tempore gratiae anno MCCXIIII. Indict. II. Nonas Decembris.

CVI.

CHARTA *WALTERI* ABBATIS SELSENSIS DE COMPOSITIONE INITA INTER *ALBERONEM* ABBATEM *NOVI CASTRI* ET *EBERHARDUM* CIRCA DECIMAS IN *LAUBACH*.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae Neoburgenſis fol. 24. 6.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Walterus* Dei gratia abbas *Salſenſis* univerſis hanc ſcripturam legentibus ſalutem in perpetuum. Viris honeſtis atque diſcretis luce clarius conſtat, quod rerum bene geſtarum tum pro ſalute tum pro utilitate fidelium & precipue perſonarum eccleſiaſticarum ſeries vel ordo interdiu confundit & obnubilat, niſi vigilanter ut a poetis atque philoſophis paſſim factum fuiſſe legimus litterali memorie mandetur, nos itaque pro modulo noſtro ſapientiam antiquorum aliquatenus imitantes ad depellendam oblivionem, que mater eſt ignorantie, ad propulſandam ignorantiam que mater eſt erroris, ad

ad devitandum errorem, qui parit ſerras contentionis, preſenti pagelle inſerere & per ipſius recitationem tam preſentium, quam futurorum auribus inſinuare curavimus ſcilicet compoſitionem, ſive conditionem quandam inter venerabilem amicum noſtrum domnum *Alberonem* abbatem *novi Caſtri* & fratres ipſius & inter *Ebbardum* filium *Billungi* quondam ſcolteti de *Hagenowe* ſuper decimis in *Lobach* noſtro conſenſu adſtipulationeque mediante factam &c. &c. Acta ſunt hec anno ab incarnatione Dom. M. CC. XIIII. indictione ſecunda, concurrente ſecundo, epacta VII. anno decem novennalis cycli XVIII. coram his teſtibus *heinrico* Cellerario *Alberto*, *Bertholdo*, *Winrico*, *hugone* monachis, *Billungo* de *Huchelheim*, *Hartwigo*, *Hugone*, *Chunrado* de *Hoterburg*, *arnoldo* Theloneario ſalſenſi, *Chunrado* priore, *Beringero* ſuppriore, *Godefrido* Cellerario, *Hartungo* hoſpitali, *Heiunimo*, *Stephano* & aliis omnibus monachis, preterea *Godefrido* Scolteto, *Sefrido* Marſchalco, & fratre ejus *friderico*, *hildebrando*, *Wolfelino* Cellerario, *Berone* de *Mumenheim*, *hartungo* de *Wyrwilre*, *Wolfelino*, *Ottone* notario & multis aliis in *Hagenowe*.

CVII.

ADELAIDIS ABBATISSA ANDLAVIENSIS MONTEM SALEMBERG MONASTERIO BAUMGARTENSI CONCEDIT, CUM FRATRIBUS DICTI MONASTERIJ CONFRATERNITATEM INSTITUENS.

Ex autographis tabularij Epiſcopalis Tabernis Alſaticis & tabularij Abbatiae Andlavienſis.

In nomine Patris & filii, & Spiritus ſancti. Ego *Adelbedis* divina permiſſione abbatiſſa in *Andelabo*. juſtum eſt, & rationi conſentaneum, ut caritas beneficia, que anteceſſores noſtri de habundantia ſua indigentibus exhibuerunt, ſi ejusdem caritatis volumus eſſe participes, non irritemus, ſed ampliora largiendo, ſi facultas ſuppetit, jam conceſſa libenti animo confirmemus. Notum ſit omnibus tam preſentibus quam futuris, qualiter Domina *Hazecha* felicis memorie abbatiſſa de *Andelab* religioſis viris de *Bongard* medietatem cujusdam montis, qui dicitur Salehenberc ſub annuo cenſu quinque ſolidorum, de conſenſu ſororum ſuarum & miniſterialium, perpetualiter conceſſit, conceſſionem quoque ſuam Cyrographo annotatam cujus medietas penes nos, altera pars apud *Bongard* reſervata eſt, ſigillo capituli noſtri & abbatis loci pretaxati confirmavit. Sed quoniam apud mentes nobilium in prefatum bonum creditur, quod ſine adjectione relinqultur, nos habito conſenſu Sororum noſtrarum & miniſterialium, reliquam medietatem predicti montis cum decimis, que ad nos pertinere dinoſcitur, acquiſitis & acqui-

quirendis, viis & inviis, cultis & incultis, ſub annuo cenſu quinque ſolidorum eisdem fratribus conceſſimus in ſempiternum, tali adhibita conditione, ut cenſus ſingulis annis in feſto S. *Martini* ſicut & in prima conventione nobis perſolvatur, niſi Dei gratia eis remittatur, ſcire quoque cupimus hujus pagine inſpectores, quos nos & fratribus prenominatis plenam confraternitatem ſtatuentes inter nos ſtabilire decrevimus, ut ipſi pro defunctis noſtris orationum munera miſſarum ſollempnia offerre debeant & celebrare, & nos ſimiliter pro eorum defunctis domino ſupplicando in omnibus bonis quae agimus eis communicare debemus, ut dum mutuis orationibus nos invicem coadjuvamus, verſutias malignorum Spirituum, domino preſtante, evadere valeamus. preterea ſi qua ſororum noſtrarum de hac Luce migraverit, Dominus abbas vel prior, vel alius, quem de congregatione illorum nobis elegerimus, exequias celebrando ejus ſepulture debet intereſſe. de Licentia quoque argentinenſis Epiſcopi confeſſiones noſtras domnus abbas, vel cui ipſe injunxerit, debet audire, curam in ſpiritualibus de nobis habendo. ſi quis contra hoc ſtatutum venire attemptaverit, vel conceſſionem noſtram legitime factam infringere preſumpſerit, cum *Dathan* & *Abyron* eternis cruciatibus deputatus, illo fonte caritatis non participet, cui non communicat alienus. Siquidem ut hec conceſſio & mutue confraternitatis inter nos conſtitutis a memoria hominum non diſcedat, atque firma & inconcuſſa in omne tempus permaneat, preſentem paginam formam conceſſionis noſtre continentem

S 5 ſigil-

ſigillo noſtro & Domni abbatis de *Bongard* fecimus muniri, & teſtes ſubſcribi. Teſtes ſunt *Gerdrudis* decaniſſa, *Kunegundis* de *Rameſe*, *Adala* precentrix, *Hedewigis* Celleraria & cetere ſorores ſancte, *Ricardis* de *Andelab*. Plebanus de ſancto *fabiano*, *fridericus* capellanus monaſterii, *Luodewicus* capellanus ſancti *Michaelis*, *Werenherus* capellanus de *Caſtelberc*, *Luodewicus* Scultetus de *Andelab*, *Eberhardus*, *Sifridus*, *Reinboldus* milites de *Andelab*, *Teodericus* ſcultetus de *Kunesgesheim*. Acta ſunt anno Incarnationis dominice MCCXIIII. medietatem hujus carte habet conventus de *Andelab*. (a)

(a) In medietate chartae Andlavienſis legitur: *Medietatem hujus carte habet conventus de Bongard.*

CVIII.

ALBERO ABBAS NEOBURGENSIS DUAS IN SACRA SYLVA PALUDES PROPE *SUFFELNHEIM* MONASTERIO SUO ACQUIRIT.

Ex chartulario membranaceo Abbatiae novi Caſtri fol. 30. b. (a)

Preſentibus & futuris omnibus has litteras inſpicientibus, frater dictus abbas in *novo Caſtro* orationes ac ſalutem in eo, qui ſalvat ſperantes in ſe. Omnium ſapientium diſcretionem minime latere ſcimus, quod antiqui patres, viri venerabiles & religioſi, omnia geſta ſua, que propter honeſtatem vel

vel utilitatem perpetraverunt, ad imitandum, conſervandumque poſteris per auctoritatem ſcripture contradiderunt; unde nos quoque in omnibus cauſis noſtris eorum cupientes inherere veſtigiis, omnia opera noſtra Litterali memorie mandare curavimus, que ad ſalutem vel pacem, vel utilitatem ſucceſſorum noſtrorum prodeſſe confidimus. Noverint igitur omnes in hoc confinio conſiſtentes, quod in ſacra ſilva juxta grangiam *Suvilheim* ſite ſunt due paludes, que Hundelouwa major, & hundes louwa minor vocantur, & ad jus ſaltuariorum pertinere dicuntur. Nos igitur & frater *Hartungus* cellerarius & frater *Ruodolfus* prefate grangie magiſter, cum easdem paludes crebrius perſpexiſſemus, ipſasque utilitati noſtre proficere poſſe conſideraremus cum conſilio ſcolteti de *Hagenowe* & aliorum amicorum noſtrorum a foreſtariis *Wolvelino* & *Erlewino* hereditario jure nobis, ſucceſſoribusque noſtris in perpetuum acquiſivimus, ea ſane ratione, quatenus prefatis ſilvaticis, ipſorumque ſucceſſoribus cunctis de jam predictis paludibus & quibusdam aliis agris, qui *Lamperti* de *Suvilheim* quondam fuerunt, ſingulis annis in aſcenſione Domini duos ſolidos argentinenſis monete perſolvamus. Ut autem hec acquiſitio nobis, atque omnibus ſucceſſoribus noſtris, remota qualibet contradictione, rata & inconvulſa permaneat in perpetuum, hanc cartam ſigilli noſtri impreſſione, ſigillique burgenſium de *Hagenowe* atteſtatione curavimus fore communitam. facta ſunt igitur hec anno Dominice incarnationis M CCXV, concurrente III. epacta XVIII, indictione

III,

III, coram teſtibus *Chunrado* priore, *hartungo* cellerario, *Alberto* camerario, *Beringero* ſuppriore, & coram omni congregatione. De Laicis vero *Woffelinus* ſcoltetus, *Syfridus* minor ſcoltetus, *Sefridus* marſchalcus, & *fridericus* frater ipſius & *Hyldebrandus*, *Bero* de *Muminheim* & omnes ſcabini in *Hagenowe*.

(a) Conferatur cum charta a *Schöpflino* edita *Alſat. Diplom. Tom. I. pag. 330.*

CIX.

ALBERO ABBAS NEOBURGENSIS MEMORAT DONATIONEM MONASTERIO SUO AB *HENRICO* PLEBANO FACTAM.

Ex codice MS. ſeculi XIII. bibliothecae San-Blaſianae. (a)

Ego *Albero novi Caſtri* dictus abbas, omnibus hujus Eccleſie filiis tam preſentibus, quam futuris notum eſſe cupio, quod *Heinricus* plebanus in *Douchindorph* contulit cunctis in hoc Loco Deo ſervientibus beneficium quoddam, ut ex eo habeant ſemper in ejus anniverſario ad refectionem caſeum, & bonum vinum, & album panem. & ſciendum, quod poſt obitum ejus in hac domo pro anima ejus agitur ſicut pro uno monachorum, tam in miſſis, quam in pſalmis & ceteris ſpiritualibus beneficiis. hoc ipſum beneficium, quo usque ipſe advivit in carnivora (b) laicorum fratribus miniſtra-

ſtrabit. & ſciendum, quod idem plebanus *heinricus* contulit ad calicem in *paſſinborn* quinque ſolidos ſpirenſis monete pro remedio anime ſue, inſuper XVI. quartalia ſiliginis & quinque caſeos in ſubſidium eccleſie contulit ut ipſius anniverſarium patris & matris ſemper apud nos peragatur poſt obitum ipſius.

(a) Codex iſte pertinuit ad monaſterium Monialium Ciſtercienſium *Fridenweiller*, prius ad Abbatiam Neoburgenſem. Scriptus eſt ineunte ſeculo XIII. Continet Martyrologium *Uſuardi* & regulam S. *Benedicti*. Martyrologio praefixum erat Necrologium, cujus tantum ſupereſt foliolum complectens duos ultimos anni menſes, ex quo ſequentia.

III. non. Novembris *Cunradus* de *Hunenburch* Epiſcopus Argentinenſis.

VII. id. Novembris. *Engelbertus* Archiepiſcopus *Colonie* occiſus.

V. id. Nov. obijt pie memorie *Erenbertus* Abbas.

id. Nov. obijt *Ulricus* miles de *Wiziuburch*.

XVIII. Kal. Dec. *Beatrix* Imperatrix.

XIII. Kal. Dec. *Petrus novi Caſtri* Abbas.

XII. Kal. Commemoratio Patrum noſtrorum, matrum, fratrum atque ſororum.

XV. Kal. januarij. *Chuonradus* Argentinenſis Epiſcopus.

In contextu ad marginem IX Kal. octobris legitur = Obijt Dominus *Albero* quintus Abbas *novi Caſtri* & ad VI Idus Octobris in margine = Obijt Dominus *Nendungus* ſecundus Abbas *novi Caſtri*.

(b) Carnivora (Mardy gras) quo die conſumuntur reliquae carnes. Acta Murenſis Monaſterij.

CX.

CX.

CESSIO DOMUS INTRA *ARGENTINAM* COENOBIO *KÜNIGSBRÜCKEN* FACTA.

Ex rotulo Abbatiae Regiopotanae.

H*enricus* divina favente clementia argentinenſis Epiſcopus. Semper & ſtabilis eſt & vivit actio, cujus ſe facit Littera defenſorem. Innoteſcat ergo tam praeſentibus quam futuris Chriſti fidelibus, quod *Gerlacus* civis noſter, & *Bertha* uxor ſua Domum ſuam in publica curia noſtra ſitam manu communicata pro remedio animarum ſuarum & Parentum ipſorum Coenobio Sanctimonialium in *Künigsbrücken* contulerint & ut haec donatio debitam obtineret firmitatem, jam dictus *Gerlacus* & *Bertha* uxor ſua jure quod in ipſa area habebant, reſignato in manus *Rudolfi* ſculteti & *Henrici* Thelonearii fratris ſui, a quibus eandem aream tenebant, inſtanter ab eisdem fratribus petebant, quod eandem aream abbatiſſae dicti coenobii eodem jure, quo ipſi eam tenebant, conferrent, videlicet annuatim pro una Libra argentinenſis monete. Nos autem pro divino reſpectu cum eadem area noſtra ſit & de manu noſtra haberi debeatur, hoc conſtituimus ut, quoad vixerimus cenſum majorem ſupradicto praedictum coenobium de ipſa area non perſolvat. decedente vero ſupradicto *Gerlaco* burgenſe noſtro quidam haeres ſuus in haereditatem dictae domus ſuccedere volebat. quo in praeſentia noſtra conſtituto, abbatiſſa etiam dicti Coenobii coram Nobis ſuper eadem

eadem cauſa in judicio comparente; auditis hinc inde allegatis & requiſita ſententia poſſeſſio jam dictae Domus adjudicata eſt abbatiſſae dicti coenobii praeſtito coram nobis in judicio a burgenſibus noſtris viris honorandis juramento, videlicet *Hugone* villano, *heinrico Cleingedanc*, *Sifrido zu Borenfelden*, quod memoratus *Gerlacus* burgenſis noſter & *Bertha* uxor ſua praedictam domum in manus Dominae abbatiſſae reſignaverint & ejus poteſtati ſubdiderint, & ne haec donatio proceſſu temporis importuna Calumnia poſſet revocari aut in oblivionem deduci, factum hoc voluimus mandari litteris, & tam noſtro quam Eccleſiae noſtrae ſigillis fecimus communiri. actum publice anno Incarnationis Domini MCC.XV. indictione III. his teſtibus *friderico* Cantore, *hermanno* portario, *Ulrico* Dapifero, *Cunrado Virreronn* Magiſtris burgenſium. *Eberhardo* & *Waltero*, *Alberto Begere*, *Dietherico* & *alberto*, *humberto*, *Burchardo Scinat*, *Guntbero* vice domno Monaſterialibus. *Burchardo* de *Ebenheim*, *friderico* Diſpenſatore, *Erbone* judice, *Rudolffo* ſculteto & *henrico* fratre ſuo, *Weiclone* judice *henrico Cleingedanc*, *hugone*, *Gebenone*, *Sifrido* & aliis quam pluribus. Datum *Agentinae*.

CXI.

CXI.

HENRICUS EPISCOPUS ARGENTINENSIS HOMINIBUS SUIS IN *RUFFACH* FUNDUM PRO ANNUO CENSU CONCEDIT, UT IBI AEDIFICENT HABITATIONES.

Ex libro ſalico Majoris Capituli Argentinenſis fol. 17.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, ego *Heinricus* Dei gratia argentinenſium Epiſcopus. Cum in domo ſapientis, juxta verba *Salomonis*, nemo ſit ocioſus, conſiderantes nos in domo Domini qui ſumme ſapiens, imo ſapientia ſuper familiam ſuam eſſe conſtitutos, reprehenſibiles nos & ocioſos eſſe cognoſcimus, niſi ſtatum domus ejus de malo ad bonum, de bono ad meliorem promovere ſtudeamus. Eapropter noſtre & Succedentium nobis Epiſcoporum utilitati proſpicientes, in *Robiaca* fundum Latitudinis noſtre, que vulgo dicitur gebreite, inter curiam noſtram & curiam abbatiſſe de *Eſchowe* ſitam, & ad curiam noſtram dominicalem pertinentem, ab hominibus noſtris de novo permiſimus edificari, & easdem areas ipſis hereditario jure pro cenſu annuali conceſſimus poſſidendas, hac quidem conditione interpoſita, ut medietatem cenſus in feſto ſancti *Johannis Baptiſtae* & reliquam medietatem in Nativitate Domini perſolvant. Inſuper habent etiam in pactione, ut quicunque poſſeſſorum predictarum arearum jus poſſeſſionis ſue vendere voluerit, Epiſcopo illud prius offerre teneatur ſine malo ingenio, venden-

dendum, & ſi Epiſcopus emere noluerit, aliis vendatur. quicunque vero receperint, ſi per alienationem vel venditionem, nec non per deceſſum illorum, qui poſſident, ad manus aliorum devolvatur, pecuniam, que dicitur Erzchatz, medietatem videlicet cenſus exſolvant in hoc eis pro aliis noſtrarum Dominicalium curtium habitatoribus parentes, quod in deceſſu noſtro & omnium nobis ſuccedentium Epiſcoporum pecuniam, que dicitur Erſchatz, nullam reddere debeant. ut autem hec rata & inconvulſa permaneant, preſentem inde paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione, nec non & fratrum noſtrorum majoris Ecclesie in *Argentina* communiri dignum duximus, teſtibus qui huic facto aderant, ſubternotatis, quorum nomina ſunt hec, *Reinhardus* prepoſitus, *Eberhardus* Decanus, *fridericus* Cantor, *Marcus* Scholaſticus, *Bertholdus* Camerarius, *Udalricus* Dapifer majoris eccleſie, *Rudolphus* prepoſitus ſancti *Thome*, & *Henricus* Scolaſticus, & *Wernherus* pincerna ejusdem eccleſie, & *Eberhardus* prepoſitus ſancti *Petri*, *Reinboldus* Decanus, *Bruno* cuſtos, *Cuonradus* portarius eccleſie predicte. *Wernherus* marſcalcus, *Dietbericus* Burgravius, & *Eberhardus* & *Waltherus* filii *Waltheri*. *Albertus Begero*, *Dietericus Stebellin* & fratres ejus, *Algotus* ſcultetus Robiacenſis, *Dietbericus* & frater ſuus *Wernherus* de *Domo*, *Rudolffus* & *Wernherus* de *Lobeguſſen*, *Conradus* de *Hadeſtatt* & *Conradus* filius ſui fratris, & *Wernherus* & *Conradus* fratres de *Hadeſtatt*, & alii quam plures. Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis MCCXVI. In-

diſtione quarta, regnante domino *friderico* Romanorum Rege glorioſiſſimo, & Rege ſicilie.

CXII.

SUMMUM CAPITULUM ARGENTINENSE *THEODERICO* BURGGRAVIO EJUSQUE HOEREDIBUS DECIMAS BONORUM IN *SULZMATT* PRO SEX CARRADIS VINI RUBEI CONCEDIT.

Ex libro ſalico ſummi Capituli Argentinenſis fol. 24.

R. Majoris Eccleſiae Argentinenſis Prepoſitus, *E.* Decanus, *F.* Cantor, totumque capitulum, fidelibus Chriſti hoc ſcriptum inſpecturis eternam in Domino ſalutem. Veſtre notificamus univerſitati, quod domino *Theodorico* Burgravio, ejusque 'duobus fratribus *friderico* & *Burchardo*, ac patruo eorum domino *Theodorico* & ipſorum heredibus decimam noſtram de illorum bonis, que nunc poſſidere dinoſcebamur in *Sultzmatten*, conceſſimus annuatim pro ſex Karratis boni vini rubei, quod in eisdem crevit bonis, tali modo: in vaſa noſtra eis in villam *Sultzmatten* per nos tranſmiſſa ipſi, noſtro preſente nuncio, dictas ſex Karratas vini reponent; utraque videlicet pars tres Karratas, & inde usque *Deinheim* in eorum expenſis deduci, ibidemque noſtro procuratori facient preſentari. quod ſi in via idem vinum fuerit ablatum, in nos damnum redundabit. Hec autem

tem conceſſio tam diu robur obtinebit, quam diu ab illis, eorumque heredibus pretaxata penſio nobis fideliter exſolvatur; qua neglecta, totalis decima ad nos Libere revertetur. Ne autem hoc factum ex diuturnitate temporis diſpendium oblivionis incurrat, preſentem inde paginam conſcribi curavimus, dominique noſtri *H.* argentinenſis Epiſcopi, ac noſtri capituli ſigillis appoſitis fecimus communiri, hiis teſtibus, *Gotefrido* & *Humberto* Cidelariis, *alberto Kagone*, *Hugone* fratre Decani, *Conrado vitulo*, *Sifrido* miniſtro, Dominorum, *Herbone Rufo*, *Waltbero* notario, anno Dominice Incarnationis M.CC.XVI. indictione quarta.

CXIII.

HONORIUS III. PP. *GERUNGO* PRAEPOSITO OMNIUM SANCTORUM IN NIGRA SILVA BONA ET PRIVILEGIA HUJUS MONASTERIJ CONFIRMAT.

Ex autographo Abbatiae omnium ſanctorum.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis *Gerungo* prepoſito *omnium ſanctorum* in nigra ſylva, &c. (*& reliqua ut in ipſa bulla Innocenti III. an.* 1204. *ſupra edita, num. LXXIII. haec addens poſt bonorum deſignationem.*) pietatis intuitu contulerunt, jus patronatus, quod habetis in Eccleſia de *Nuſsbach*, & hoſpitale ſanctorum *Simonis* & *Jude* ad *Gamenneusburſt* cum omnibus pertinentiis ſuis, cum pratis & vineis, terris, nemoribus, uſuagiis & paſcuis, in boſco & plano &c. &c.

 Datum

Datum *Anagnie* per manum *faveti* ſancte Romane Eccleſie vice Cancellarii, V. nonas julij, indictione quinta, incarnationis Dominice anno M. CCXVI. pontificatus vero Domini *Honorii* Pape tertii, anno primo.

CXIV.

FRIDERICUS REX ROM. PRAEPOSITO ET MONASTERIO S. *FIDIS* IN *SELESTADT* CONCEDIT PRAEDIA, AB IPSO VICE VERSA RECIPIENS IN EADEM CIVITATE BANNUM VINI ETC. ETC.

Ex autographo tabularij Epiſcopalis in Palatio Argentinenſi.

In nomine ſancte & individue Trinitatis, *Fridericus ſecundus*, Dei gratia Romanorum Rex & ſemper auguſtus, & Rex ſicilie· Ad notitiam omnium atque ad perpetem memoriam ſingulorum tam preſentis evi, quam future poſteritatis patrocinio preſentis ſcripti volumus pervenire, quod cum Regia circumſpectio ad futuram Imperii, noſtrorumque heredum utilitatem conſideraſſet, adaptationis convenientiam de civitate Sletſtatenſi non modicum expedire, nos de principum, Baronum atque nobilium fidelium atque miſterialium noſtrorum plano conſilio, ne Eccleſie in honore Dei omnipotentis, ejusque pie genitricis perpetue virginis *Marie* & omnium ſanctorum, & ſpe-

So widderſagt auch der Biſchoff von *Mentz*, vnd wart des margrafens von Brandenburgs helfer, und wart alſo ein groſſer krieg zwiſchen herren und der Reichsſtetten in ſwaben.

Der von wirtemberg verſoldet dieſe hienach geſchriben mit namen: grave *Wilhelm* von *Lutzelſtain* mit ſeinen helfern; Item juncker *Wilhelmen* Herren zu *Vinſtungen*, mit ſeinen helfern. Item ein grafen von *Eberſtein*. Item graven *Ulrichen* von *Helffenſtein*. Item juncker *Hanſen* von *Rechberg*, vnd ander edelleut, und arme knecht, alſo das er het zu verſolden XII. C. pfert.

So beſoldet Margraf *jacob* von baden, dieſe hernach geſchriben mit namen: grave *Emichen* von *Leyningen*, der da was ſeiner ſweſter ſone, mit ſeinen helfern. Item; juncker *Wyrichen* vom *ſteyn*, des gemelten grave *Emichen* ſweſterman mit ſeinen helfern; item juncker *jorgen*, Herren zu *Ochſenſtein* mit ſeinen helfern. jtem; grave *Fridrichen* von *zweyn-brucken*, und Herren zu *Bitſch* mit ſeinen helfern. jtem; júncker *Ludeman* von *Lichtenberg*, auch ſeiner ſweſter ſone, mit ſeinen helffern. Item; *Wirich* von *Hohenburg* der jung, vnd ander vil Ritter und knecht. vnd was alles in Land wol beſetzt, vnd verbranten, vnd verhergten alles, das der ſtett was, deſſelben theten die ſtett auch herwider wo ſie mochten.

Darnach vmb ſant *Bartholomeus* tag des vorgenanten jars, do zogent die von *ſwabiſch-gemunde* auſs mit macht vor das sloſs *Rechberg*, vnd wolten es beligen. diſs wurden die von *Rechberg* gewar, vnd des von Wirtembergs Reutter die da lagen zu *geppingen* mit IIII. C. pferden vnd mit fuſs gänden, ſie ranten vber die von *gemunde* vnd erſtachen jn C. vnd V manne. jtem ſie fingent CC vnd XXV manne, die furt man gefangen geyn *Schorndorff*, vnd *ſtuttgarden*. Item ſie gewonnen In an XLIIII wagen, item eyn groſs buchs, item viel ſlangen buchſen, armbruſt, und IIII. C. panzer, die an die beudt kamen. in dieſem gerenne vnd geſchleg waren herr *Wilhelm Luzelſtein*, herr *Wilhelm* von *Vinſtingen*, die den anſchlag thatten, vnd ſie darnieder legten als vor ſtet, vnd gewannen jne auch der ſtat *gemunde* Banner ab.

Dar-

Darnach nechſt vor Herbſt, da beſamelten ſich der marggrave von Baden, vnd der von Wirtemberg mit eym groſs Volck bey XIIII. C. pferden vnd vff II. M. gebauren. domit zogen ſie vor *Eslingen*, hiewent die reben vnd baum ab. vnd was auſswendig der ſtatt was, theten groſſen ſchaden, lagen drey tag vnd nacht da, vnd ſchoſſen mit jag-buchſen in die ſtatt.

Darnach vmb ſant *Martins* tag, do verſamelten ſich die von *Vlm*, *Nordlingen*, *Augſpurg*, vnd alle gemeyne ſtett in ſwaben, mit einem hupſen reyſſigen gezeug bey VI. C. pferden, vnd vil zu fuſs, vnd zogen alſo in des von Wirtemberg Land, vnd branten vff den villern, vnd verhergten auch alles das jne furkam vnd theten groſſen ſchaden, do machten ſich die von *Wirtemberg* vff, thatent botſchafft vmb vnd vmb, vnd heufften ſich zuſamen, des ir wurdent V. C. Reutter und hatten bey jne vff CXXX ganzer harnaſch, vnd kamen die ſtett an vor *Eslingen*, brachen mit den ganzen harneſchen durch, vnd wider durch, vnd slugen ſich ſo lang, vnd ſere, das ir keiner den andern Wol geſehen mocht vor der nacht. jedoch ſo behubent die herren vnd Ritterſchafft das feldt, vnd wurden von den ſtetten erslagen LXXXVI manne vnd merer theils alle heuptleute von den ſtetten, mit namen: *Walther Ebinger* von *Vlm*, der gewaltigſt *jerhonimus popfinger* von *Nordlingen* ein gewaltiger daſelbſt, vnd ander vil. Auch wurden den ſtetten vil gefangen mit namen: *jorg* von *Gerolseck* ein ritter, und ander mee.

jtem; es warnt vff der herren ſeyten erslagen XII manne under denen was *johans* von *ſtambaym*, Ritter, vnd zwen Edelmann. darnach geſchach vil ſchades gegen einander den winter auſs.

Anno Dom. MCCCCL. zu halbfaſten do zoch der Biſchoff von *Meynz* vor *Halle* die ſtatt in den Roſengarten, mit IX. C. pferden vnd verbrant darinn vff. XXXII guter dorffer, vnd was mit jm der von *Hohenloe*, vnd ander vil grafen vnd herren.

Volgends in den ſelben vaſten, do wollte Marggraff *Albrecht* den von *Nuremberg* eynen weyher abslagen. dis wurdent die von *Nuremberg* gewar, vnd ſteckten ſich, vnd kamen an den Margraven mit irem volck, vnd fingen jm ab LV manne zu roſs, vnd erſtachen jm bey den X. vnder den was ein von *Rechberg*, vnd kam der margrave kaum davon.

Ob den nechſten dinſtag vorm ſuntag quaſi modo, do wart obgenanter Marggrave gewarnet, wie das vol tauſent ſweytzer werent komen geyn *Rottenburg*, vnd wolten furter gein *Nurenberg*, do macht ſich der Margrave vff mit VIII. C. pferden, vnd hielt bey ſant *Pertersberge* vff die ſweytzer. da kament die vorreutter, vnd ſagten dem herren, wie das ſi eyn fewer hetten geſehen, vnd wie das die ſtett im feld werend wol mit VI. C. pferden do ſtapffet der Marggrave herzu baſs in eyn gegent hayſst die brunſte, bey eynem jungfrawen Cloſter heyſt *Sultzs*, zwo meylen von *Anſpach*. do wurden beyd here, eyander ſichtig, ſchick-

ſchickten ſich als leut die eynander begerten, machten ire ſpizen, vnd da furt grave *Ulrich* von *Ottingen* des Marggraven Bannere, vnd als ſie zuſamen kamen, das was Marggraf *Albrecht* der aller vorderſt vnder den ſynen, vnd randte geyn *Karle Zobell*, der do was der vorderſt von der ſtetten wegen, vnd ſtach denſelben ſperſtichs vff-richtig vnder augen vnder das pferdt. do fur mit jme grave *Sigmundt* von *Gleychen*, vnd zuſtund gab gott dem Marggraven den ſigk das er den gewan, vnd die ſtett fluchtig wurdent, finge jr wol III. C. manne, vnd pferden, furt dieſelben mit jm heym gein *Anſpach* gefangen; wurden auch vff der banne XII manne erſtochen, vnd wol XL gewund, die man rayten lieſs vff ziel. vnd wart vff Marggraves ſeyten nit mee erſtochen dan eyn knecht; vnd knab. gewanne jne auch vff dem ſelben tag an funff fenlin, die der ſtatt warent, hundert armbroſt, vnd etlich ganze harnaſch.

Nach den pfingſten darnach, da beſamelten ſich der Biſchoff von *Meynz*, Marggrave von Baden, vnd der junge grave *Ulrich* von Wirtemberg, wol mit II. M. pferden, vnd mit VIII. M. fuſsganden, zogen vor *Heylpronnen*, vnd verhergten alles das vmb *Heylbronnen* zu, verhergen was, vnd theten groſſen machtigen ſchaden.

Vnder dieſen dingen vnd tagen, da widderſagt Herzog *Albrecht* von oſterreich, der des Romiſchen kunigs bruder was, dem von *Rottweyll*, vmb das ſie jme die veſten *Hohemburg* gebrant vnd zerbrochen hetten, vnd er nichts mit jme zu

 ſchaf-

ſchaffen gehebt, vnd den von *Vlm* umb das ſie die von *rottenburg* an dem *Necker*, *Herbe*, vnd *bruſsdorffe* inhielten, die ſein waren, vnd ine verpfandt, dorumb hieſch er jne groſs gut vor den ſchaden.

Do wart eyn tag geyn *Babenberg* gelegt vor des konigs Rethe; do wart aber vil gehandlet, geſucht, vnd gefordert. vnd ſo muſten die von *Nuremberg*, *Heydeck* sloſs und ſtatt *Luchthenaw*, vnd anders angewonnen mit baarem gelt vom Maggravem zu brandemburg kauffen, vnd gaben jme ſein lebenlang alle jare III. M. gulden, vnd waren geracht. jtem; ſo muſt der zoll zu *Eslingen* ab ſyn, darumb der von Wirtemberg was vheindt worden. So wart auch Herzog *Albrechten* von Oſterreich, *Rottenburg*, *Herbe*, vnd *Beuſsdorff* widder mit ſyner gehorde, das die von *Vlm* lange vorgehatten hetten als er meynt. —

In dem ſelben vorgeſchriven jar, vnder dieſen dingen vnd dagen. da kriegt *Heinrich Holzapffel* von *Herxſsheim* mit den von *Landau* vmb anſprach die er meint an ſie zu haben. da widderſatzten ſich die von *Landaw*, vnd beſtalten ſoldner vnd fuſsknecht. darnach wart *Simon Mauſchenheimer*, vnd *Anſalm* von *Wadagys*, des *Holzapffel* helffer, vnd hielten bey *Landau*, diſs wurden die von *Landau* gewar, vnd eylten heraus die ſoldner ſampt *hanſen* von *Helmſtadt* vnd de fieng *Heinrich Holzapffel* vnd ſeine helffer bemelten *hanſen* von *Helmſtadt*, vnd furten jn gefangen geyn *Lindeborn*; deshalben zogen die von *Landau* vor *Lindeborn*, vnd das ganze biſtumb von *Speyer*, wan er

er des Biſchoffs vetter was, vnd lagen davor zwei oder drey dag, da wart ein theydig gemacht, alſo das *hans* von *Helmſtat* ſolt geben IIII. M. gulden, biſs ſant *johannes baptiſten* dag nechſt zv kunfftig an genanten *Halzapffel*; vnd wo das nit beſchee ſo ſolt ſich *hans* von *Helmſtat* widderſtellen vnd antworten geyn *Lindeborn* in das sloſs ane gewerde, vnd dafur gab er zu Burgen *Pallas sluttern*, *Weyprecht*, vnd *Weyprecht* von *Helmſtat* beyde ſeine gevettern, die auch ſolches gelobten. vnd als man das gelt ſolt antworten geyn *Lindeborn* wie beredt was, do fing der marggrave zu Baden *hanſen* von *Helmſtat* vff, dar er ſich nit mocht ſtellen gen *Lindeborn*.

Demnach vf den nechſten dag nach *Laurentii*, de legt Phalzgrave *fridrich* churfurſt ein dag geyn *Weiſſenburg* zwiſchen dieſem *Heinrich Holzapffel*, vnd *hanſen* von *Helmſtat* zu dieſem dag kament die hernach geſchriben Furſten, graven, Herren, Ritter vnd knecht.

Obgenanter phalzgrave; item Herzog *ſtephan* von Beyern; Item Herzog *Ludwig* von Bayern, ſyn ſone; item Biſchoff *Ruprecht* von *ſtrasburg*. der Biſchoff von *Speyer*. der Biſchoff von *Worms*. der Teutſchmeiſter von *Horneck*; der grave von *Cazenelenbogen*, Eyn grave von *Naſſawe*; grave *Heſs* von *Leyningen*; der grave von *Wertheim*; grave *Fridrich* von *Zweybrucken*; der grave von *Weſterburg*; grave *Emich*, grave *Schaffrit*, vnd grave *Bernhart*, alle drey von *Leyningen*. Reingrave *johan*; grave *Conrad* von *Tuwingen*; zwen Rawgra-

graven; grave *Bernhart* von *Eberſtein. Ludwig* Herr zu *Lichtenberg; johan* herr zu *Vinſtingen. jeorg* Herr zu *Ochſenſteyn. Philipp Schenck* Herr zu *Erpach.* der Herr von *Epſtein.* grave von *Hannaw.* Item, grave *Ludwigs* Rethe von Wirtemberg; grave *Ulrichs* Rethe von Wirtemberg. des Erzbiſchoffs von *Meynz* Rethe. Item XIIII Ritter, vnd ander mee Knecht. es muſten auch alle Furſten verſprechen fur ſich, vnd die ihren der ſtatt, vnd dem Reich kein ſchad zu ſein, vnd gleidt zu halten; vnd ob es nott beſchee, bey des pfalzgraven, vnd der ſtatt pannier zu beſtheen; das ſye dan auch alſo verſprechent. Sollichts tetten auch alle graven, Ritter, Herren, vnd knecht. dieſen tag hielt man in dem Cloſter, vnden den baumen offentlich. auch ſo hat man riegell vor die cloſter pforten gemacht, daran ſaſſent gewappent leut, die do hutent, das man die herren nit vberdrunge, vnd handelt man zwen tag; doch ſo zersluge ſich dieſer tag vnd ſchieden on ends, wan *Holzapffel* wolt ye das ſich *Hanns* von *Helmſtat* geyn *Hoemburg* ſtelt, laut der manung. nach ſolchem hat *Holzapffel* ſein burgen offtermals gemant vnd erfordert, ſo lang vnd viel biſs er hat vffgeslagen in allen ſtetten wie man dan leuthen thut, ſo nit briff vnd ſiegel hatten, jedoch wart ſolcher krieg zuleſt geracht vnd geſchlicht.

In dem vorgeſcriben jar. M. CCCCL. vff montag vor *Egidi* da vberzoghe juncker *Schaffrid* von *Leiningen* die Herren von *Lictenberg*, vnd hette zu hilf juncker *jorgen* von *Ochſenſtein*, juncker *Diebolten*

bolten von *Geroltzeck*, vnd juncker *Hanſen* von *Fleckenſtein*, vnd darzu vergunde Ime der pfalzgrave viel guts, vnd lyhe Ime viel Ritter, vnd diener, van er nit guten willen hette zu den obgenanten Herren von *Lichtenberg*.

Die von *Lichtenberg* hetten ze hielff die graven von *Lutzelſtein*, vnd die herren von *Vinſtingen*, vnd ander Ritter vnd knecht, vnd gewonnent *marle* das dorff vnd sloſs, vnd nament groſs gut darinn. Item; *ſarwerde* das sloſs vnd ſtatt, vnd erſtigen es vff *Martini* vordag, vnd viengen darinn den graven von *Sarwerden* an ſym bette by ſym weib, die des obgenanten graff *Schaffrydts* ſweſter was, vnd wart gein *Lichtenberg* gefvrt vff die veſten. Item, erſtigent *Schawerburg* das sloſs gelegen in der mortenawe, von juncker *diebolt* von *Geroltzecke* darauf enthalten was, vnd viengen den der den egenanten juncker *diebolten* enthilt, gewonnent auch groſs anſeglich gut darauff, wan ez vil gemeyner hett, der etlich dobey geſeſſen warent. Item; *Brumadt* das sloſs gewonnent dieſelben Herren von *Lichtenberg*, lagent dafur XII dag, grûbent die greben ab, vnd zerſchoſſen es ſere, das man es geſturmt wolt han, das ſahendt die ſo darinn warent, vnd ergabent ſich das man ſy reitten lieſs mit irre habe.

Anno MCCCCLI. vff *Bonifacii* nach mittag zwiſchen drey vnd vier uhr beſchach eyn ſtreit by *Rychshoven* zwiſchen den obgenanten Herren von *Lichtemberg*, vnd den graven von *leiningen*, vnd geſiegte juncker *Ludeman* von *Lichtenberg* vnd mit

mit jm Herr *Wilhelm* von *Lutzelſtein*, vnd ſyn bruder juncker *jacob* von *Lutzelſtein*, die ſein helfer warent, vnd wurden diſſe hernach geſchriben gefangen vnd geſchetzt: juncker *Schaffrid* von *Leyningen*, haubtman des krigs, der wart gein *Lutzelſtein* gefurt, wan juncker *Ludman* wolt jne ye in dem Veldt erſtochen han das wolt herr *jacob* von *Lutzelſtein* nit gehengen. jtem; juncker *georg* von *Ochſenſtein*, auch haubtman des krigs, vnd der wart gein *Lichtenberg* gefurt.

Item; ſo ſeint die hernach geſchriben Edeln bey dem von *Leiningen* vnd dem von *Ochſenſtein* gefangen worden. mit namen

Syfrid Bock
Philips Schnedeloch von Keſtenberg.
Hans Holtzapffel, *vnd jacob Holtzapffel* gebruder.
Fridrich von ſtein
johan von Greffenkloe
Erhart von Ramberg
Hanns von Wachenheim
Heinrich Wolff von Ingelheim
Erkinger von Rotenſtein
Endrig Wilch
Heinrich von Dureckheim
Clauſs von Schmidberg
Conrad Egelin
Gerhard von Dolgesheim
Wilhelm Landeck
juncker *Rudolff* ein ſwab.
Emerich von Okenheim

Wil-

Wilhelm von Daudenberg
Gotfrid von ſtockheim
Conrad von Muſchell
johan Waltorff.
Hans von Hoenburg.
Arnolt von Engaſs
Symont Balsböffer.

Item es lagent auch nidder vff den egenanten dag bey LXXXX guter reyſiger knecht, die alle gevangen wurdent, vnd den gab mann allen ziel inn dem feldt, aber ſy muſtent ſich alle inn dem feldt ausziegen, vnd iren Harnaſch von jne legen, darzu ire pferdt, vnd welcher ſeer wunt was, dem gab man ein monat ziel, vnd den andern XIIII dag.

Item; es wurdent auch in dieſem geſläge nit über VI erſchlagen zu beyden ſeyten von Rittern vnd geburen, vnd wurdent doch zu beyden ſeyten mee dan CCC man gewundt, wan ſie einander ſeer begert hettent.

Anno MCCCCLII. am andern dag des Mertzen, da ſatzt Biſchof *Ruprecht* von *ſtrasburg* einen dag geyn *Elſaszabern*, dahin kamen bayd parthyen vnd ir gutte frewnd, do wart diſe hernach geſchriben rachtung gemacht zwiſchen obgenanten Herren von *Luchtenberg*, vnd von *Leiningen* alſo. das juncker *Hans* von *Wachenheim*, *Heinrich Wolff* von *jngelheim*, *Symont Balſshofer*, *Syfrid Bock*, *Philips Snydeloch* von *Keſtenberg*, *Hans Holtzapffel*, von *Herſcheim*, vnd ander, die wie obgeſchriben von juncker *Schofrids* von *Leyningen* wegen

gen niedergelegen warent, vnd nit von des von *Ochſenſtein* wegen, die ſolten gaben XIIII. M. guldin, vff ein benant ziele, alſo ſy ouch thatent, vnd muſten globen vnd ſweren zu den Heiligen, widder die obgenanten Herren von *Lichtenberg*, *Lutzelſtein*, vnd *Vinſtingen*, nymmermee zuthun, noch ſchaffen gethan werden, vnd vorab allen ahs bezalen, vnd daſſelbſt muſten auch alle arme knecht thun. Item; ſo muſt juncker *Schaffrid* von *Leyningen* verzeyhen vor ſich, vnd alle ſein Erben, vff *brumat* das ſloſs. vnd dorff, vnd alles das er hett obwendig des forſtes, vnd das an dem Biſchoff von *Mentz* abtragen, wan *Brumat* ein lehen von ſelbem Biſchoff iſt. Item; er ſolt auch den pfaltzgraven abtragen, wan *Brumat* in ſeym ſchirm geſtanden was da es gewonnent wart: mocht aber der obgenant Herr *Schaffrid* ſollchs nit gethan, ſo ſollt er ſich widder jn gefangniſs zu *Lutzelſtein* ſtellen, das muſte er gut burgen vnd ſicherheit geben zu thun in einem benanten ziel. Item; dieſen abtrag kunt er nit an den Biſchoff von *Meintz* haben noch finden in keynem wege, vnd darumb ſo muſt juncker *Schaffrid* obgenant widder gein *Lutzelſtein* in gefangnuſs, darinne er lag biſs das der pfaltzgrave darfur zog. vnd es gewan vff ſant *Martins* obent deſſelben vorgeſcriven jars.

CXIX.

CXIX.

SYNODUS RATISBONENSIS HABITA 1466.

Rudpertus Dei gratia comes Palatinus Rheni, Bavarie Dux, Eccleſiaeque Ratisbonenſis Adminiſtrator, Univerſis & ſingulis ſecularium & Regularium Eccleſiarum Praelatis, Rectoribus, Plebanis, vice plebanis, canonicis & non Beneficiatis, per civitatem & Dioceſin noſtram Ratisbon. ubilibet conſtitutis ſalutem in Domino ſempiternam. Deus Deorum Dominus aequo moderamine cuncta praeordinans ab aeterno in gentes voluit eſſe legum conditores, ut ſe homines cognoſcerent, & in terris propulſatis inſolentiis roboraretur juſtitia, vigeret aequitas, & tandem magis innoteſceret *boneſtas* (Cod. *boneſtatis.*)

Ideoque lex traditur, ut appetitus noxius ſub juris regula limitetur, per quam genus humanum ut honeſte vivat & alterum non laedat, jus ſuum unicuique reddatur: horumque conſideratione inducti ad honorem omnipotentis Dei Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ac omnium ſanctorum diverſas conſtitutiones ſynodales bonae memoriae *Friderici conradi* (electus 1450.) & aliorum praedeceſſorum meorum in diverſis codicibus, in quibus multa pro communi utilitate & honeſtate clericorum atque ſalute fidelium animarum continentur, quae in oblivionem quodamodo tranſierunt, ita quod, an vim conſtitutionum obtineant, frequenter dubitatur, & experientia

(*Cod. Experientia*) didicimus, intollerabiles errores tam in clericis quam in laicis noſtrae jurisdictioni ſubjectis propter non uſum eorundem ſcandala gravia eveniſſe. Unde ne ſanguis ſubditorum de manibus noſtris requiratur ex debito noſtri paſtoralis officii hujusmodi periculoſum defectum ſolicitudinis ſtudio pro ſubditorum noſtrorum remedio, commodo & proſperitate emendare duximus & removere, Id circo de noſtri capituli conſenſu dictas conſtitutiones in unam compilationem compendioſius redegimus, adijcientes aliqua nova, quae in jure fundantur, aequitati deſerviunt, & coninent honeſtatem: volentesque & authoritate noſtra ordinaria in virtute ſanctae obedientiae firmiter & diſtricte praecipiendo mandantes, quatenus vos omnes & ſinguli praeſcripti infra ſcriptas conſtitutiones ſeu ſtatuta ſynodalia matura deliberatione collecta & examinata promto affectu ſuſcipiatis, easque & ea de cetero & in futurum diligenter obſervare ſtudeatis, ſub poenis inibi contentis, ne per earundem transgreſſionem divinam, principaliter & ſubſequenter noſtram indignationes incurratis &c.

De ſumma Trinitate & Fide Catholica.

Quae propter ſui exquiſitiſſimam ac excellentiſſimam perfectionem & clariſſimam lucidiſſimam veritatem adjectione vel declaratione non indigeat, ad quam in ſupernis tanquam principium, medium & finem ſalutis omnium corda noſtra manus & oculos devote elevemus, nihil aliud eſt tenendum, docendum & credendum, niſi quod ſancta

Mater

Mater Romana tenet & docet Eccleſia: Ita (*deficit ſenſus*) cum ut omnes Eccleſiarum Rectores & vicarii noſtrae diocefis per ſe vel eorum ſubſtitutos diebus Dominicis & feſtivis ſubditos ſuos articulos fidei fideliter inſtruant & informent, ac frequenter diebus Dominicis, poſtquam Evangelium legerint. Pater noſter, Ave Maria & credo ſuis plebibus fideliter & vulgariter exponant.

Statuimus & ordinamus, ut ſi quis clericus vel Laicus utriusque ſexus, cujuscunque dignitatis, religionis aut praeeminentiae exſiſtat, auſus ſit praeſumptione damnabili publice praedicare vel occulte docere, credere vel tenere, quod ſacerdos in peccato mortali exſiſtens non poſſit conficere chriſti corpus, ſeu ſic ligatus ſubditos ſuos ſolvere a peccatis, pro Haeretico & incredulo habeatur. Unde quantumcunque ſacerdos pollutus exſiſtat, divina non poteſt polluere ſacramenta, quae purgatoria cunctarum contagionum exſiſtunt. Licite ergo a quocunque ſacerdote ab Eccleſia tolerato divina audiantur & alia recipiantur ſacramenta.

De Renunciatione.

Nullus Eccleſiam vel Eccleſiaſticum Benificium dimittere vel recipere praeſumat ſine ſui ſuperioris Authoritate, quod ſub ſuſpenſionis poena omnibus firmiter inhibemus.

De Temporibus ordinandorum.

Statuimus quod nullus ad examen pro ſacrorum ordinum ſuſceptione aliquatenus admittatur,

 niſi

niſi recenter confeſſus fuerit omnia peccata ſua delicta cum ſequelis peccatorum intelligant, per diſcretum informatorem debent inſtrui ordinandi, an eis expediat, ordinari, vel irregularitatis alicujus praetextu ſit eis potius abſtinendum.

De officio Vicarii.

Et quia Rectores Eccleſiarum adeo Vicariis ſuis relinquunt exiguam portionem, quod ex ea nequeant ſuſtentari, generali concilio inhaerentes ſtatuimus, ut ipſis vicariis ſufficiens & honeſta portio de proventibus Eccleſiae aſſignetur; alioquin ipſi Rectores, ſi moniti non aſſignaverint, ſuis potuerint beneficiis ſpoliari. Nullusque ſub poena ſuſpenſionis ab officio, intitulatus ad curam animarum vicariam perpetuam vel temporalem ſimilis Beneficii aſſumere praeſumat.

De officio Decani ruralis.

Decanus per dioeceſin Ratiſpon. conſtitutus in ſuae receptionis principio jurare debet, vel ſaltem fidem ſuam dare. vice & loco juramenti, quod ſine dolo & fraude obſervet articulos infra ſcriptos. Primo quod Domino Ratiſpon. obediens exſiſtat, ejusque mandata & ſuorum judicum reverenter accipiat, atque cum benivolentia pro poſſe ſuo efficaciter adimplere curet, & alias officium ſuum fideliter exſequatur. Item, quod conſtitutiones ſynodales per Epiſcopos Ratiſpon. factas & approbatas firmiter obſervet, & ab aliis confratribus ſui Decanatus jubeat inviolabiliter obſervari.

De

De habenda viſitatione per Decanos & camerarios.

Praeterea Decanus & camerarius, ſub poena ſuſpenſionis ab officio & Beneficio, diſtricte praecipimus, ut aſſumptis ſibi curatis confratribus Decanatus illius ſingulis annis duabus vicibus videlicet prima poſt feſtum S. *Jacobi* infra menſem: ſecunda infra adventum & Nativitatem Domini immediate ſequentem omnes confratres ſuos in unum locum convocent cauſa viſitationis habendae: aut ſingulas eorum Parochias ſigillatim accedant, ſuper exceſſibus eorum inquirentis: Et exceſſus eorum inquiſitos noſtris aut noſtri vicarii auribus deferant infra menſem, & haec noſtra ſtatuta ſynodalia auribus ipſorum tunc ſerio ſuis *intitulare* (f. *inculcare*) curent.

Praemiſſis adijcimus ſtatuendo, ut nullus in Decanum ruralem noſtrae Dioceſis electus aut eligendus non dum confirmatus officium Decani ante confirmationem ſuam a nobis aut vicario noſtro obtinendam exercere, aut ſe Decanum nominare vel ſcribere aut pro tali ſe gerere quomodolibet praeſumat: ſiquis autem ſecus fecerit excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat, & ad Decanatum hujusmodi inhabilis exſiſtat.

Conſiderantes etiam pro eo conſtituuntur, ut clerici honeſtatem & confratrum utilitatem procurent, exceſſus eorum referant, mandata noſtra, vicarii noſtri & aliorum judicium debite exſequantur, ſingula quae mandantur a ſuperioribus ad noticiam fratrum ſuorum deducant. Omnibus

 igitur

igitur & ſingulis Decanis nobis ſubjectis praeſenti ſtatuto precipimus, & nichilominus ipſos & eorum quemlibet juxta ſacrorum Canonum ſtatuta in teſtes ſynodales conſtituimus, & deputamus in finem & effectum, ut notorios exceſſus, & praeſertim illos, quibus Eccleſia ſcandalizatur, quorumcunque infra ſuum Decanatum Beneficiatorum ſeu aliorum clericorum infra unius menſis ſpatium a tempore notitiae ſuae computando, nobis ſeu vicario noſtro notificent aut conſcribant: ſiquis vero neglexerit, ab ingreſſu Eccleſiae ſuſpendatur.

De vita & honeſtate Clericorum.

Cum in clericis & Eccleſiaſticis perſonis vigere debeat honeſtas morum, maturitas & gravitas tam verbo quam Exemplo, nec ullum levitatis & ſcurilitatis indicium in eisdem apparere: quid tamen plus cum his, qui & ad ſimilitudinem laicorum, qui cum mundo, quam cum his, qui in ſortem Domini recepti ſunt, unde & ſe eis conformare ſatagunt; Mandamus & ſtatuimus, ut clerici de caetero officia, vel ſecularia comercia non exerceant maxime inhoneſta: tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti: ad aleas & taxillos non ludant: coronam habeant congruentem: calceos roſtratos non deferant: clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda: pannis rubeis, viridibus aut albis, mitris vel mantellis, qui color apud clericos inconſuetus & inuſitatus eſt: froenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur: fibulas

las omnino non deferant, atque corrigias, auri, cupri aut auricalci ornatum habentes: ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis: partitas & virgatas veſtes non habeant nec eisdem utantur, niſi neceſſitas expoſcat: pannis ſericeis, damaſco ſeu voluto non utantur: Veſtes de vario ſeu hermelinis pellibus non deferant: diſcoopertis capitibus in plateis non incedant, ſed ſic ſe habeant, ut per decentiam habitus extrinſeci (*extrinſeca*) morum honeſtas oſtendatur. Volumus tamen in ſublimibus, Nobilibus & litteratis viris haberi moderamen, ut ſicut in Excellentia graduum & perſonarum, ita & in ornatu veſtium aliis praeferantur. quicumque autem veſtem, ut ſupra *perfertur*, prohibitam temere deferre praeſumſerit, veſtem ipſam aut ejus valorem perdant, & nihilominus juxta condignum noſtrae ſubjaceant diſciplinae.

De concubinariis.

Licet per ſacros canones & ſanctorum Patrum decreta & conſtitutiones proviſum ſit, ne Clerici concubinas tenere ſeu habere praeſumant: ipſi tamen clerici laſciviam ſuam magis quam Decreta hujusmodi ſequentes, concubinas publice tenere adeo inverecunde & ſcandaloſe praeſumunt, quod quadam caecitate mentis neque ſcandalum neque peccatum eſſe putant. Cum autem talia nequeamus, neque debeamus conniventibus oculis praeterire. Statuimus & mandamus, quatenus omnes & ſinguli concubinas, ancillas, *vacarias*, quascunque alias mulieres de incontinentia ſuſpectas

 publice

publice ſecum tenentes, ac cum pueris, ſi quos ex eisdem procreaverint, infra unius menſis ſpatium veraciter & ex toto a ſe repellant, & reijciant, nec eas ſic rejectas, aut alias quascunque ſic de incontinentia ſuſpectas in domibus vicinis habere & nutrire, ac ipſas ſeu pueros aut ſic ſuſpectas ad ſe redire permiſerint, media parte fructuum unius anni, quos de Beneficio ſeu Beneficiis quae obtinent, ſint ipſo facto privati. Si vero Beneficiatus non fuerit, medietatem obventionum, quam de quocunque ſtatu Ecleſiaſtico percipere habeat, privatus ſit. Quod ſi quisquam ſpreto mandato hujusmodi peccata ſua, ut praemittitur, poſt dictum terminum continuare, ſeu novam concubinam ſuperinducere praeſumſerit, etiam alia media parte fructuum alterius mediae partis ſit ipſo facto privatus, fabrice Eccleſie Ratiſpon. aut fiſco noſtro Epiſcopali vel aliis piis uſibus applicandum. Si vero quisquam adeo induratus, nec Deum timens, nec metu poenarum hujusmodi mandatis noſtris obediverit, ac monitis ex ſuper abundanti non deſtiterit, Beneficiis ſuis quae habet, ſit ipſo facto privatus: ſi vero Beneficiatus non fuerit, poſt poenam carceris quam non evadet, ac dioeceſi ſit perpetue excluſus.

De vicariis inſtituendis, ut paſtores primo inquirant de converſatione.

Statuimus & univerſis veris paſtoribus in virtute ſanctae obedientiae diſtricte praecipiendo mandamus, ut de vita, converſatione, moribus & idoneitate vicariorum ſuorum, antequam nobis prae-

praeſententur, diligenter inquirant, & ipſis praeſentatis & admiſſis ſimiliter omni anno de vita ſua & converſatione, ac modo regiminis *ipſo* (f. ipſis) comiſſo, ne ſanguis ſubditorum de manibus eorum requiratur, inquirere non omittant, ut eos quos incontinentiae vitio maxime laborare invenerint, a tempore, quo exceſſus hujusmodi ad eorum pervenerit notitiam, noſtris aut vicarii noſtri, qui pro tempore fuerit, ſimiliter deferant auribus infra menſem; alioquin contra ipſos paſtores ad poenam ſuſpenſionis a Divinis, in quantum de jure poterimus, utique procedemus.

De clericis peregrinis & Diſcolis.

Quoniam divinae vocis oraculo nobis ſola Dei potentia Cathedrae noſtrae Ratiſp. Eccleſiae praeſidentibus injungitur, ut diligenter vultum ſubditorum noſtrorum agnoſcamus, & de quorum vita, moribus & converſationibus certa notitia habeatur, ſuſtinere in Eccleſiarum regimine non debemus, & de quibus haeſitatur, an ab Epiſcopis veris, ſedis Apoſtolicae gratiam habentibus ſine ſaltu promoti fuerint: praeſertim cum infames loca ſua fugere conſueverint nationis: quidam vero in uno Decanatu noſtre Dioeceſis, culpis ſuis exigentibus, reprobati vel ejecti ſe latenter ad alios Decanatus recipiunt, & ſe divinis ingerunt, qui non ſolum negligunt curam animarum, ſed etiam pravo eorum exemplo plebem ſibi commiſſam inficiunt & corrumpunt. Quo circa *vos* (f. *nos*) ſingulis & univerſis Decanis, Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis & viceplebanis noſtrae Dioeceſis

 qui-

quibuscunque in virtute ſanctae obedientiae & ſub excommunicationis poena diſtricte praecipiendo mandamus, ut de caetero nullum talium Presbyterorum ad aliquod officium ſacerdotale celebrandum vel exercendum quovis modo recipiatis aut admittatis, niſi ſuper receptione & admiſſione ſua noſtras literas exhibeat ſpeciales.

De cenſibus prabendarum & Eccleſiis Parochialibus.

Paſtores Eccleſiarum noſtre dioeceſis cenſu antiquo & debito de cetero ſint contenti, niſi forte plus vel minus ab aliquibus conſideratis locorum & temporum circumſtantiis exigi valeat. Item qui cathedraticum ſolvere tenetur, ſolutionem ipſam faciant in feſto omnium ſanctorum ſub poena dupli: alias procedemus contra ipſos tam ad ipſam (ſupl. *poena*) quam etiam praelatus vel clericus non habens pleno jure conferre, aut Laicus reſignationem recipiat beneficiorum aut admittat deinceps, ſed eosdem ad Dioeceſanum pro tempore exſiſtentem pro reſignatione facienda remittat, quod ſi contra hujusmodi ſecus fecerit, ſit eo tunc jure praeſentandi privatus.

De libertate Eccleſiaſtica.

Eccleſiaſticam cupientes tueri libertatem, ac noſtris temporibus adaugeri, prohibemus diſtrictiſſime ſub poena ſuſpenſionis a perceptione fructuum Beneficii, ne quisquam clericus cujuscunque ordinis noſtrarum civitatis & Dioeceſis cuiquam ſeculari perſonae ſub colore protectionis aut defenſionis absque noſtra ſpeciali licentia ſe conſtituat

ſtituat cenſualem, veluti a non nullis factum noſtris auribus eſt intimatum. Quin imo, ſi qui ſe jam cenſuales conſtituiſſent teneantur ſub eadem poena infra duorum menſium ſpatium liberatos ſe facere & abſolutos: Neque praeſumant clerici ad quaecunque ſecularia & vetita judicia vocari in perſonalibus actionibus, vel ſuper rebus Eccleſiaſticis ſeu Eccleſiarum aut Beneficiorum ibidem coram judice laico in contemtum privilegii clericalis quovis modo reſpondere, neque pro quibuscunque exceſſibus ſe a Laicis mulctari extra judicium permittant: quin imo citati taliter debent absque mora ad nos vel noſtrum in ſpiritualibus vicarium ſuper haec habere recurſum ad impetrandum remiſſionis litteras vel aliter expedire, prout cognoverimus eis, providendum; Hoc autem non obſervantes ſciant ſe poenam privationis ſtipendii praebendalis cujus cunque beneficii quod obtinent ad tempus ſpatii ſex menſium incurriſſe. Cum plerisque locis quorundam laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus Eccleſiae furtum reputatur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo, ſynodali judicio diffinimus, ut qui bona Eccleſiarum vel Clericorum ſcienter detinent occupata, niſi infra tres menſes reſtituerint, de damnis & intereſſe ſatis faciant competenter, ex tunc introitum Eccleſie ſibi noverint interdictum; nec a nobis & aliarum Eccleſiarum Praelatis noſtrae Dioeceſis ad Communionem Dominici corporis. aut aliquis de eorum familia admittantur, qui autem obſtinata mente dum vixerint, ſatis facere non curaverint, Eccleſiaſtica careat ſepultura. —

Sta-

Statuimus praeterea, & (f. *ut*) ſi in noſtra Dioeceſi aliquem ſacerdotem vel clericum capi contigerit, vel captum detineri, uſque ad liberationem & exhibitionis debitae ſatisfactionem ceſſetur generaliter per totum Decanatum a Divinis.

Cum ſcriptum ſit in concilio Lugdunenſi, quod decet domum Domini ſanctitudo &c. quare ſtatuimus & ſub anathematis poena diſtricte mandamus, quod de coetero nullus clericus ſive laicus ſeditionem, inſultum vel impetum in Eccleſiis faciat, committat vel commoveat quovis modo: ceſſentque in ipſis foeda & profana colloquia, nec non judicia, mercaria ſocietatis Conſilia & publica parlamenta: ceſſentque in ipſis Eccleſiis & eorum coemeteriis negotiationes & praecipue nundinarum ac fori, & quorumcunque *ſaeculariorum* (f. ſaecularium) negotiorum ſtrepitus & tumultus, ne ubi peccatorum eſt venia *poſtulandi*, (f. poſtulanda), ibi peccandi detur occaſio. Alioquin contra eos, in quantum poterimus, procedemus. Nullus etiam plebanus aut Vicarius ad requiſitionem cujuscunque laici mandata laicalia qualiacunque in ambonibus eccleſiarum ſuarum publicet, ſeu publicari permittat.

De rebus Eccleſiae non alienandis.

Diſtrictius inhibemus, ne Abbas vel Abbatiſſa, Praepoſitus vel Decanus Plebanum vel *quicunque clericus* (f. quemque *Clericum*) obliget, vel quocunque obligationis titulo ab Eccleſia transferat vel commutet, Dotes Eccleſiarum poſſeſſiones, Decimas vel quascunque res alias Eccleſiarum, vel uſum

uſum *fructuum*, (*fructum*) vel emphyteuſin det, vel vendat laicis vel aliis, quod vulgariter Lewbgeding (*Leibgeding*) appellatur, niſi ex certa noſtra ſcientia & licentia haec faciat juxta formam in Canonibus comprehenſam. Si vero Abbas, Praepoſitus, Decanus vel quicunque clericus contractum hujusmodi fecerit, a perceptione fructuum ſuae dignitatis vel Beneficii ſui, decernimus, edicto perpetuo inhibemus & inviolabiliter obſervari volumus, ſuſpendendum, quod nullus clericorum vel vicariorum noſtrae Dioeceſis, cujuscunque gradus ſeu dignitatis exſiſtat, calices, libros, ornamenta & alia utenſilia quaecunque ad divinum cultum ſpectantia diſtrahere, obligare ſeu alienare praeſumat, noſtra licentia, ſeu aliorum quorum intereſt, non obtenta: alioquin tales ſe noverint ipſo facto ſententiam excommunicationis incurriſſe.

De vitricis Eccleſiarum.

Item ſtatuimus, quod nullus Procurator ſeu vconomus Eccleſiae Parochialis aut filialis, qui vulgariter Zechmann dicitur, cum bonis Eccleſiaſticis ſub nomine ſanctorum & Patroni illius Eccleſiae, cujus Procurator exſiſtat, uſuras Mercaturas illicitas, contractus illicitos ſeu fictitos ulterius exercere praeſumat, alioquin ex nunc, prout ex tunc talem a perceptione corporis Domini ſuſpendimus ipſo facto &c.

Pervenit etiam ad nos, quod Vitrici ſeu cuſtodes Eccleſiarum redditus, qui Eccleſiis & luminaribus pertinent, & quae ad hoc a fidelibus confe-

run-

runtur, ad ſuos convertunt uſus, quibus ſub excommunicationis poena diſtricte praecipiendo mandamus, ut de omnibus & ſingulis perceptis hujusmodi vel quae percipi potuerunt, ſingulis coram Plebanis loci & duobus vel tribus de plebe faciant rationem; percepta vero eisdem indilate reſtituant. alioquin per Plebanos ſuos ad ſolutionem praedictorum per Sacramentorum ſubtractionem & alia juris remedia compellantur.

De Teſtamentis Clericorum & eorum Exſequutione.

Quia circa clericorum teſtamenta ex eorum exſequutiones ſoepe fraudes committuntur, bonaque relicta per eos ad uſus non deſtinatos, vel alias inutiliter diſpenſantur: Nos quibus ex officio proviſio circa haec merito incumbit, remedium ponere volentes ſtatuimus, ut quicunque de exſequutionibus relictorum per clericos decedentes ſe intromittere velit, teneatur infra unius menſis ſpatium de ſua conſtitutione fidei Commiſſaria vel exſequutoria ultimae voluntatis coram nobis vel Vicario noſtro plenam & idoneam facere fidem, antequam manum apponat ad exſequendum. vel relicta bona clerici defuncti diſpenſandum, Inventarium ſub manu authentica vel in praeſentia duorum teſtium fide dignorum de bonis relictis & inventis per defunctum omnino conficiat, ac poſt lapſum anni a tempore mortis teſtatorum computando, ſimiliter infra unius menſis ſpatium nobis aut Vicario noſtro integram de inventis & diſtributis faciat rationem. Si quis vero aliter & praemiſſis

miſſis non obſervatis bona cujuscunque clerici nobis ſubditi diſpenſare praeſumſerit, noſtro fiſco in ſummam quinquaginta florenorum de Plebo condemnatus, mulctandusque exſiſtat &c.

De ſepulturis.

Cum ſacris Canonibus ſit conſonum, ubi quis vivus Eccleſiaſtica recepit Sacramenta, ibi etiam mortuus requiescat, omnibus igitur chriſti fidelibus deinceps qui in agone vitae ſuae apud ſuas Eccleſias parochiales ſe viatico corporis Chriſti communicaverit, ac apud easdem ſuas Eccleſias ſe procuraverint ſepeliri, de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, noſtrique Patroni meritis confiſi, in relevamen ſuorum peccaminum quadraginta dies indulgentiam de injunctis ſibi poenitentiis miſericorditer in Domino relaxamus &c.

Item ſtatuimus ut nullus alienum parochianum in ſua Eccleſia ſepeliri praeſumat niſi ſepulturam elegerit ſua propria & matura voluntate praehabita apud loca religioſa ſub teſtimonio perſonarum fide dignarum, Eccleſiae parochialis juribus per omnia ſemper ſalvis: alioquin tales tanquam invaſores rerum alienarum canonice punienus. Caveant tamen omnes Eccleſiaſticae perſonae tam religioſae, quam ſeculares, atque omnes homines utriusque ſexus, ne quemquam ad hujusmodi electionem directe vel indirecte inducere praeſumant &c.

Malas

Malas voluntates hominum quamquam nequeamus ex toto cohibere, (ſupl. *tamen*) ex officii noſtri debito malitiis hominum occurrere quantum eſt poſſibile cupientes, ne ſilentio noceamus, (ſupl. *mandamus*) manifeſtos (deeſt *uſurarios*) niſi facta reſtitutione juxta poſſibilitatem vel cautionem ſufficientem de reſtituenda peccunia foenerali, ſuſpenſos patibulo, decollatos, vel alias qualitercunque per ſententiam morti traditos, in torneamentis, ludis & publicis ſpectaculis vel alias occiſos, aut ſubito decedentes tradere praeſumant Eccleſiaſticae ſepulturae, niſi licentia noſtra ſuper hoc petita & obtenta.

De Eccleſiis, Capellis & altaribus aedificandis.

Inhibemus etiam ne religioſi aut alii clerici vel laici noſtre Dioeceſis cujuscunque gradus & dignitatis exſiſtant, Eccleſias, Oratoria, Capellas ſeu altaria de novo fundent, vel fundata transferre praeſumant ſine noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum licentia ſpeciali: Et niſi eidem altari ſeu altaribus in proventibus tantum aſſignetur, vel ſaltem luminaria & alia neceſſaria ultra victum miniſtri vel miniſtrorum habeant competenter: & haec fiant cum licentia & voluntate noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum ſpeciali, aliter fundata Eccleſia vel altaria diruantur, & fundator ad arbitrium noſtrum canonice puniatur &c.

De Miſſis non confirmatis.

Mandamus inſuper omnibus & ſingulis clericis noſtrae Dioeceſis, ne quis eorum ſibi Miſſam in titulum

titulum & comendam locatam vel commendatam a nobis vel praedeceſſoribus noſtris nondum confirmatam inofficiare praeſumat, niſi infra tres menſes a notificatione praeſentium eis facta computandos confirmationem vel licentiam a nobis deſuper obtineat ſpecialem; Alioquin eis & cuilibet eorum ingreſſum Eccleſiae interdicimus, eosque & eorum quemlibet ſuſpendimus a divinis &c.

De Parochiis & alienis parochianis.

Gravis & clamoroſa querela noſtris auribus inculcatur, quod non nulli clerici ſuis juribus & finibus non contenti parochianos alienos & confeſſionem, divina officia & ſepulturam in periculum animarum ſuarum allijciunt, invitant & temere admittere praeſumunt contra canonicas ſanctiones, cum non liceat alteri mittere falcem in meſſem alienam: Cum neque abſolvendi vel ligandi habeant poteſtatem, excepto neceſſitatis articulo, qui legem non habet, & ſic per tales animae miſerabiliter ſunt deceptae. Nos igitur ſanctorum Patrum veſtigiis inhaerentes, qui Eccleſiae Dei ſanctae & perſonis Eccleſiaſticis terminos, quos non licet transgredi, poſuerunt, mandamus, quod ſingulis diebus feſtivis proclametur publice per ſacerdotem, ut exeant parochiani alieni, niſi aliqui propter funus familiare, nuptias ſolemnes aut dedicationes Eccleſiarum ſeu aliquam aliam evidentem neceſſitatem ibi veniſſent ad Eccleſiam: de coetero nullum alienum parochianum ad confeſſionem ſeu ſepulturam recipiant quovis modo, Alioquin per ſeptem Dies immediate ſequentes

noverint ab ingreſſu Eccleſiae ſe ſuſpenſos ipſo facto.

De Regularibus.

Edicto perpetuo prohibemus, ut nullus Monachus ſeu Monacha in Abbatem vel Abbatiſſam, niſi dudum profeſſus aut profeſſa fuerit, aſſumat, & ſi qui taliter, quod abſit, fuerint aſſumti, a ſuis removeantur officiis, & alii ſubſtituentur eisdem.

Caecitas & abuſus quorumdam monaſteriorum & Eccleſiarum taliter inolevit, quod Praelati negligentes, deſides ad lapidatores (forte *ac dilapidatores*) & nimium prodigi ſeu liberales melioris conditionis ſunt, quam viri providi, juſti & oculati; nam cum Mamona iniquitatis providere & cum ſuis ſubditis ſoepius ordinare conſueverunt taliter, ut dimiſſis praelaturis ſuis unam vel duas praebendas, aut valorem ipſorum ſibi temere uſurpare praeſumant, contra regulam B. *Benedicti*, & conſtitutiones ſanctorum Patrum praelaturis eorum ſub certis modis & pactibus renunciantibus, & ſic ſimoniaci & proprietarii efficiuntur, & haec ad baratrum dilabuntur. Quare ſtatuimus & firmiter obſervare volumus, ut nullus Praelatorum noſtrae dioeceſis cujuscunque gradus, dignitatis, ordinis vel conditionis exſiſtat, talia de coetero nobis *inconſulto* (f. inconſultis) facere praeſumat, alioquin facientes & conſentientes ipſo facto noverint ſententiam excommunicationis incurriſſe.

Nullus deinceps Praelatus, nullus plebanus, nullus alius cujuscunque ordinis & religionis exſiſtat,

ſiſtat, maſculum vel feminam conſecrare, veſtire, induere aut benedicere praeſumant, niſi certam & approbatam profiteatur regulam, & eſſe deſtinet certo loco. Eos vero, vel eas qui contrarium fecerint, a locorum Rectoribus & plebanis per cenſuram Eccleſiaſticam monitione praemiſſa compelli praecipimus ut aut certe religioni ſe conferant, aut religionis veſtem, quae (cod. qua) vagandi eis preſtat materiam, & opportunitate accomodat delinguendi. abijciant, ne irregularem vitam veſtis religioſa obumbret &c.

De Conſecratione Eccleſie vel Altaris,

[Praedeceſſorum] (ſupple. *noſtrorum ſtatutis inhe-rente*) ut in Baſilicis non conſecratis vel id eccleſiis ſanguinis vel ſeminis effuſione pollutis, confractionibus vel rupturis ernormibus exſecratis nullus clericorum, noſtra licentia non obtenta, celebrare etiam pena prohibemus in campis, tentoriis, vel coemeteriis, aut in altaribus viaticis ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum licentia ſpeciali Miſſarum ſolemnia celebrare &c.

De Celebratione Miſſarum.

Praedeceſſorum noſtrorum ducti veſtigiis ſtatuimus atque ſacro approbante concilio prohibemus, ut nullus ſacerdotum novitiorum illa die, qua celebrare debuerit primam miſſam in exordio publicacionis ſanctiſſimi ſui officii oblaturus Deo primitias gratie & ſalutis ſibi collatae aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere aut procurare per ſe vel per alium nullo modo praeſumat, ſed ad ſolum Dei, cui militiae eſt adſcrip-

 tus;

tus, dirigat aciem ſui cordis, maxime illa die devotus, curis & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur, exutus, remotis vanitatibus hiſtrionum, curſibus, tumultibus & inſolentiis reproborum, qui etiam ſaepe venire aſſolent etiam non vocati, alioquin tantum nobis, quantum eundem, pro hujusmodi convivio exponere contigerit, perſolvere teneatur &c.

De Predicatione verbi Divini.

Cum ſacerdotes, quibus a Domino praedicandi miniſterium commiſſum eſt, Dominicas oves ſibi creditas verbo Dei, ſpiritali alimonia, paſcere, & ut in preceptis Divinis ambulent, edocere debeant: idcirco eosdem in ſuis ſermonibus, precipimus eſſe cautos, ne verba proferant inutilia aut vana & maxime piarum mentium offenſiva, ſed potius ſcripturam ſacram veteris videlicet & novi teſtamenti, ac precipue Evangelium chriſti plane & intelligibiliter Dominicis & aliis ſolemnibus diebus populo praedicent, (ſynodus commendat methodum homileticam) primo textum prout jacet vulgariter exponendo ſubjunctis poſtillis vel per membra declarent, veluti plebis capacitati convenire cognoverint. Et quia repetita notitia mandatorum Dei multum videtur aedificare in populo, ſpecialiter ordinamus, ut Rectores Eccleſiarum parochialium ad minus ſemel in anno aſſumant materiam decem preceptorum, & illam una cum correctione vitiorum convenienter proſequantur, Inducentes cum ſumma diligentia populum ad agendam poenitentiam pro peccatis com-

commiſſis, ac propterea ſingulis annis Dominica prima Quadrageſime volumus, ut eidem populo publicet & pronunciet conſtitutionem generalis concilii, quae incipit: Omnis utriusque ſexus &c. & aliis monitis ſalutaribus eos ad confitendum ſacerdotibus, & ſe Deo reconciliandum inducant. Caveant autem omnino predicatores hujusmodi, ne in ſuis ſcripturis *apoſtrafis* (*apocryphis*) ſive non authenticis: & ſiquid forte per ignorantiam proferant, ab eccleſia vel Doctoribus non approbatum, hoc caute ſtudeant revocare. Neque ad convitia vel exprobrationes criminum vel ad ſuas particulares cauſas expediendas in ambonibus quovis modo deſcendant, ut ubi Dei cauſa agitur, ibi odia, rixae, ſive vindictae non ſeminentur: quem quidem abuſum ſub pena ſuſpenſionis a Divinis, & interdictione officii praedicationis ſpatio trium menſium diſtricte prohibemus.

Tenor vero dictae conſtitutionis ſequitur.

Omnis utriusque ſexus & fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti & injunctam ſibi poenitentiam propriis viribus ſtudeat implere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiae ſacramentum, niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu eccleſiae arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quis ex ignorantiae

coeciate velamen exuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter illum ipſum non poſſit ſolvere vel ligare.

Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat prebere conſilium & ei remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum aegrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno aut alio quovis modo prodat peccatorem, ſed ſi prudentiori Conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione caute requirat: quoniam qui peccatum poenitentiali judicio ſibi detectum praeſumſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum ad agendam poenitentiam ad arctu monaſterium detrudendum.

De Clericis indigne miniſtrantibus.

Statuimus & ordinamus, ſi quis Clericorum excommunicatus vel ſuſpenſus ſcienter celebraverit, aut celebrare vel alias divinis ſe ingerere praeſumſerit ſemel aut pluries in officio ſuo, cum talis ſit irregularis, praecipimus ut infra ſpatium duorum menſium iter arripiat ad Romanam curiam pro habilitatione diſpenſatione obtinenda: alioquin rebelles noverint ſe ex nunc prout ex tunc a noſtra Dioeceſi excluſos: Et ſi illos ultra in noſtra dioeceſi repererimus, incarcerabimus eosdem, prout juris ordo

do poſtulat, & requirit. Et idem volumus de clericis per ſaltum promotis & de novo promotis miniſtrantibus obſervari &c.

Quidam non legitime geniti paterni ſceleris imitatores; non nulli membris carentes, ſenſibus orbati, vel alias corpore vitiati, quidam etiam irregularitatibus irretiti, nec non officii carentes exſequutione ſe miniſteriis ingerunt ſacrorum ordinum ſuae ſalutis in diſpendium & ſcandalum plurimorum, quod nequeamus conniventibus oculis praeterire. Ad reformationem igitur Eccleſiaſtiaſtici ſtatus, & decorem Domus Dei, decernimus ſtatuendum, quod quicunque talium per Decanos in Dioeceſi noſtra reperti fuerint, quocunque modo nobis ſine mora qualibet transmittant pro ſuis exceſſibus corrigendos vel ſi decreverimus Apoſtolicae ſedi ſuper obtinendo diſpenſationem rubore perfuſi (def. ſenſus) ſe noſtris conſpectibus infra menſem diſtulerint praeſentare, Loci Decanus ipſos per ſuſpenſionem tam ab officio, quam Beneficio punire ſeu & cohibere praetermittat. Et ſi Decanus quilibet negligens fuerit ipſe ſuſtineat.

De Sacramentis non iterandis.

Ne injuria fiat ſacramentis, quibus maxima reverentia a Catholicis viris debetur, ſtatuimus, ut nullus clericorum puerum prius baptizatum ſeu confirmatum denuo baptizare vel confirmare praeſumant, niſi in dubio vel ſub certa forma: ſi non es baptizatus, te baptizo in nomine P. & F. & S. S. Et idem fiat de confirmatione, niſi forte

 ma-

manifeſte conſtiterit, quod puer ab Hereticis ve laicis fuerit *baptizatus, praedicta* (f. *confirmatus praeſcripta*) forma non ſervata &c.

De Baptiſmo.

Baptiſmus itaque omnium ſacramentorum janua, cujus ſubſtantia in elemento aquae conſiſtit, ſuper baptizando aqua effuſa ſub hac verborum forma conferatur, ut: ego te baptizo in nomine P. & F. & S. S. hoc ſpecialiter obſervato, quod nulli extra eccleſiam praeter cauſam neceſſitatis, propter quam nequeat ad eccleſiam absque periculo haberi acceſſus baptizentur, niſi fuerint Regum liberi aut Principum, quibus in hoc deferatur, ut in Viennenſi conſilio deſuper edito continetur. Baptiſterium etiam ſemper detineatur clauſum & ſeratum, cujus claves apud ſacerdotes, & (f. *non*) in manibus laicorum diligenter reſerventur. Et quia propter parvulorum baptizandorum imbecillitatem compatres fieri ſoleant, ne ex eorum pluralitate contingat in contrahendis poſtea matrimoniis impedimentum oriri, praecipimus diſtricte, ut unus duntaxat in baptismate ſumatur compater, ſive patrinus, quodque in ſolemnizandis hujusmodi matrimoniis Rectores eccleſiarum diligenter perquirant de impedimentis occaſione compaternitatis *contractum*, (f. contractis) prohibentes, ne quis filiam ſacerdotis, qui ipſum baptizavit, ducat aliquatenus in uxorem &c.

De Sacramento Euchariſtia.

Officium miſſae in quo divinum Euchariſtiae Sacramentum conficitur, a Presbyteris cum cordis

dis pietate attente & devote praecipimus celebrari, ut quando Miſſas non cantando legunt, alta & intelligibili voce proferant, quae poſſunt a circumſtantiis audiri. Attendant omnino, ne quid de forma conſecrationis tam panis quam calicis *admittatur*, (ſ. *omittatur*) ſed quod integra verba cum conſecrandi intentione proferant, & praeſertim cum calice, antequam elevetur, incipiendo ibi: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, compleant, usque ibi: haec quotiescunque. Caveant etiam quascunque in officio Miſſae negligentias. quod ſi forte per incuriam aquam loco vini in calicem infundi, & conſecrationis verba deſuper proferri contingat, celebrans ipſe, poſtquam hoc ſenſerit, non tamen deglutiverit, alioquin non jejunus celebraret ſecundum *Innocentium* in C. cum *Marthae*. De celebr. Miſſar. juxta Doctorum S. ſcripturae doctrinam iterato vinum infundere, ac verba conſecrationis calicis ex integro repetere debet, ibi incipiendo: Simili modo & perficiendo uſque ad illud: haec quotiescunque &c. Deinde ſacramentum ſic Conſecratum ſumens *complendam* (ſ. Communionem) legat, Miſſamque ad finem perducat &c.

De Cuſtodia Euchariſtae & Reverentia Sacramentorum.

Ne propter irreverentiam ſacramentorum ira Dei ſaeviat in miniſtros, ſtatuimus, ut Euchariſtia, chriſma, oleum ſanctum ſub diligenti cuſtodia in vaſis mundis, & lumine continue ardenti ſervetur. Cum autem ſacerdos Euchariſtiam vel oleum in-

firmorum ad decumbentem depotaverit, viderit, quod oleum ſuper pelliceo & ſtola ſeu orario ſit indutus, ſuppoſito mundo velamine, maniſte & honeſte ante pectus ſuum, campanella & lumine praecedentibus. Hec faciant omnibus etiam vere poenitentibus & confeſſis, Qui ſe ſacerdoti Euchariſtiam vel oleum infirmorum taliter deferenti eundo vel redeundo aſſociaverint; ſi hoc de die fecerint, decem ſi vero de nocte cum lumine proprio vel alieno, viginti dies de injunctis ſibi poenitentiis, praeter indulgentias ab aliis conceſſas, auctoritate noſtra ordinaria miſericorditer relaxamus.

De eodem ex ſtatutis D. *Bertoldi.* *)

Cum autem ſacramentum Euchariſtiae ſit excellentius coeteris ſacramentis, & tanquam ſolus Deus liceat adorari, tenore preſentium duximus ſtatuendum, ut cum ſacerdos cum ſacramento Euchariſtiae viſitat & procurat infirmum, ſi totum ſacramentum expenderit, adeo, quod nihil remaneat in conſervatoris ſeu vaſe, in reditu ſacerdotis extinguatur candela, & nulla aliquatenus non pulſetur, ne fideles vas adorando vacuum idololatriae vitium incidant vel incurrant. Si vero aliquid ſuperfuerit de hujusmodi ſacramento, ſacerdos per ſe ipſum vel per ſacerdotem alium, quantum cunque via difficilis fuerit, de hujusmodi ſacramento, & extenſa ad eccleſiam ipſam referat,

Ade-

*) In catalogo Epiſcoporum Ratisbon. nullus invenitur *Bertholdus*, quin verbotenus deſumtum eſt, ex ſynodo Eccſtett habita ſub *Bertholdo* a 1354.

deportet, alioquin hoc non obſervato praeter ultionem divinam ad arbitrium noſtrum graviſſimae ſubjacet ultioni &c.

[Reſtituendum duxi hoc caput ab amanuenſi ſat corrupte deſcriptum, & ſupplenda, quae habentur in ſynodo Eccſtett. cap. de *ſacramento Eucharìſtiae.* ſcil. „Si autem aliquid ſuperfluere de hujusmodi ſacramento, ſacerdos per ſe ipſum, vel per ſacerdotem alium, vel miniſtrum ad hoc aptum, utpote Diaconum, non per ſcholarem vel miniſtrum alium, quantumcunque via difficilis fuerit, vel extenſa, ad eccleſiam ipſum referat vel reportet, alioquin &c.]

De Sacramento Unctionis extremae.

Unctionis extremae ſacramentum, infirmorum ſaluti inſtitutum debet a Presbiteris cum debitis cerimoniis & forma conferri, & dum ſuper aegros haec proferunt verba, dicentes: Ungo hos oculos tuos &c. non putent hanc ſubſtantialem eſſe formam, ſed alia deprecatoria verba, quae ſubjunguntur, videlicet: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quid quid deliquiſti per viſum: quae ſic repeti debent in ſingulis unctionibus membrorum.

De Matrimonio.

Matrimonium, nuptiarumque ſolemnitatem merito recommendantes, prohibemus quaecunque matrimonia clandeſtine contrahi: & ne clerici nobis ſubjecti taliter contractis interſint, aut quovis

vis modo auctorizent, ſtatuentes, ut dum aliqui matrimonium contrahere velint, hoc prius Plebano ſuo inſinuare curent: Idemque in Eccleſia parochiali infra Miſſarum ſolemnia Dominica vel die feſtiva publicationem ac proclamationem faciat, admoneatque parochianos ſuos, ut ſi quis conſanguinitatis, compaternitatis vel aliud canonicum impedimentum inter contrahentes ipſos ſciat, aut noverit, hoc infra octo dierum terminum ad audientiam ſuam deferat. Et ſiquidem Plebanus impedimentum aliquod ex probabili conjectura cognoverit, matrimonium tale nullatenus ſolemnizet, quin imo potius expreſſe interdicat. Et nihilominus ſi contrahentes ipſi a contractu non reſilirent, hoc ad audientiam noſtram vel officialis noſtri deferat absque mora. Quod ſi quisquam ſacerdotum noſtrorum matrimonium non praemiſſa proclamatione publica & termino octo dierum non *elapſis*, (f. *elapſo*) veluti ſuperius exprimitur, ſolemnizare praeſumſit, ſciat ſe poenas juris, videlicet ſuſpenſionis ab officio per triennium ob hac incurriſſe, ac gravius a nobis, prout facti qualitas exegerit, puniendos &c.

De confeſſionibus audiendis.

In confeſſionibus audiendis illam praecipue diligentiam ſacerdotes obſervent, ut confitentes peccata uſitata & communia ſigillatim: *inoptata* (f. *inopinata*) vero per quasdam circumſtantias caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante neſcierant perpetrandi. In communiori quoque loco Eccleſiae & ſuſpicione carente ſe-

ſedeant ſacerdotes cum confeſſiones audiunt, & in ſpiritu lenitatis audiant, & inſtruant confitentem ut de peccatis, quibus Deum offendit. contritionem habeat & propoſitum abſtinendi. Imo ſpecialiter inhibemus, ne aliquis ſacerdotum in caſibus nobis & Epiſcopis reſervatis, maxime notoriis aliquem praeſumant abſolvere in foro poenitentiae, niſi ex ſpeciali commiſſione noſtra vel vicarii noſtri vices noſtras in hac parte gerentis, in ſatisfactionibus vero *injungendum* (f. injungendis) majora majoribus reſerventur, in minoribus autem ſecundum qualitatem culpae & qualitatem delinquentium ſe caveant, atque regant, alia que obſervent, quae in conſtitutione *ſoepius* (f. ſuperius) poſita, quae incipit omnis utriusque ſexus &c. clarius exprimuntur. Sciant inſuper ſacerdotes, quod juxta Doctrinam canonum infirmis languentibus non eſt injungenda poenitentia, ſed tamen innotescenda: itaque ſatisfactionis impoſſibilitas Domini noſtri Jeſu chriſti Paſſione ſuique praecioſi ſanguinis effuſione ſuppleatur.

Caſus Epiſcopales.

Remittantur itaque ad nos ſeu vices noſtras gerentem Rebaptizatus, reconfirmatus & reordinatus. Item qui matimonium poſt ſponſalia jurata cum alia quam ſponſa contraxerat. Item: Mulier, quae antequam certificaretur de morte mariti, cum ſecundo contraxerit. Item perimens ſeu negligens prolem propriam. Item in ſe ſterilitatem vel abortum quomodolibet procurans. Item homicidia facta praecepto conſilio, aut authoritativa exhortatione, ſeu alio quovis modo.

Item

Item voti tranſgreſſor. Item ille, cui ſolemnis penitentia injungenda. Item quilibet ſimoniacus. Item omnis uſurarius. Item raptor. Item ſacrilegus. Item Incendarius quilibet. Item latro. Item eccleſiam conſecratam ſanguinis vel ſeminis effuſione polluens. Item quilibet excommunicatus a canone vel conſtitutione. Item quilibet eccleſie vel coemeterii aut communitatis vel libertatis eccleſiaſticae violator. Item quilibet irregularis. Item ſacerdos proditor confeſſionis. Item celebrans in eccleſia interdicta vel altari non conſecrato aut mobili ſine licentia, aut indumentis non ſacris, aut non jejunus. Item non ordinatus celebrans vel miniſtrans in ordine quem non habet. Item ſacerdos cujus culpa vel negligentia aliquid inhoneſti & ſcandaloſi circa ſacramentum evenerit. Item ſacerdos notorius fornicator, aut publicus concubinarius. Item quilibet dejurans vel veniens contra juramentum ſuum. Item falſarius litterarum aut monetae. Item quilibet manus violentas inijciens in Presbyterum, clericum, Patrem vel matrem ſuam. Item quilibet conjugatus contrahens matrimonium vivente uxore cum ſecunda, vel intrans religionem ſeu recipiens ſacrum ordinem conjuge in vita: & e contra. Item conjux, qui vel quae in mortem conjugis effectualiter machinatus & machinata fuerit. Item coiens cum infideli. Item coiens cum brutis. Item promotus per alium quam proprium Epiſcopum ſine licentia. Item furtive vel per ſaltum aut extra ſtatuta tempora promotus. Item excomunicatus vel ſuſpenſus aut interdictus in ordine

dine ſuo miniſtrans, vel aliter ligatus aliquem ſuſcepit in ordinem. Item ſcienter ſepeliens corpus excommunicati in coemeterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti. Item abutentes quomodolibet ſacramentis eccleſiae, ut puta: hoſtia, chriſmate vel alia re ſacra. Item ſcienter baptizans propriam prolem vel illam tenens in baptiſmo. Item omnis haereticus, aut fautor vel participator haereticae pravitatis. item quilibet publice criminoſus. Item quilibet coiens cum ſanctimonialibus. Item omnes clandeſtine *detrahentes* (f. *contrahentes*).

Forma Abſolutionis.

Hanc vero in foro poenitentiali obſervare & tenere debebunt ſacerdotes abſolutionis formam tanquam ſubſtantialem & feriſſimam, ut videlicet praemiſſa oratione deprecatoria: Miſereatur tui Deus omnipotens &c. dicat: Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignetur te abſolvere. & ego te authoritate qua fungor, abſolvo te a vinculis excommunicationis minoris, ſi incidiſti, & a peccatis in nomine P. & F. & S. S.

Ne pro adminiſtrandis Sacramentis aliquid exigatur.

Volumus & diſtricte praecipiendo probibemus, ne ſacerdos pro adminiſtrandis ſacramentis vel pro ſepultura fidelium munera quantumcunque modica exigant aut extorqueant a ſuis ſubditis more tondentium: (cod. *condentium*) Ipſis autem ſacerdotibus non interdicimus, ut ſi ſubditi eorum poſt ſacramentorum adminiſtrationem conſuetudinem

a

a fidelibus introductam nollent obſervare, quin ad hoc officium noſtrum ſeu officialis noſtri implorando poſſint, id eſt, ſubditi licite coarctari, & prout jus dictaverit compelli.

Contra Haereticos & ſuperſtitiones.

Nunc univerſas Haereticorum deteſtamur ſectas, quibuscunque cenſeantur nominibus, praeſertim noviſſimorum Wicleſiſtarum, Huſſitarum & Waldenſium errores, omnesque alias vanas & ſuperſtitioſas obſervantias (def. ſenſus) quorum Propheta dicentem: odiſti obſervantes vanitates: Deo odibilis eſt ſcientia incantationis, videlicet divinationes, ſacrilegia, artemque maleficam & Pithoniſſarum, quibus decepti homines putant bona provenire ſibi vel mala poſſe evitari. Ad hunc quoque perducimur errorem, quod credant certis verbis & obſervantiis curari poſſe languores aut pecora a morſu ferarum conſervari: quod quidem (def. ſenſ.) peſtiferum genus cum audiverimus nimis commune ſit in vulgo, eradicare cupientes, ſtatuimus ut deinceps quicunque Presbyter aut clericus talem repererit cujuscunque ſexus vel conditionis hominem ſive laicum ſive clericum praedictis damnatis erroribus involutum, aut incantationibus demoniacis vel ſuperſtitionibus vanis qualitercunque utentem, ſi in poenitentiali foro crimen corrigere cognoverit, taliter abſolvendum ad nos vel poenitentiarium noſtrum omnino remittat, etiam ſi alias pro certis perſonis in caſibus Epiſcopalibus abſolvendi authoritatem, quam ad hunc [illegible]ium volumus extendi, a nobis obtinuerit. Et nihilo-

nichilominus ſiquis intra limites alicujus parochiae (de haereſi aut praedictis erroribus vel vana ſuperſtitione) publice infamatus fuerit, Plebanus ſive Rector illius Eccleſiae ipſum caritative & fraterne admonere debet, ut deſiſtat, quod ſi non deſtiterit, teneatur eundem ſub poena privationis Beneficii infra unius menſis ſpatium, nobis aut noſtro in ſpiritualibus vicario generali illico denunciare, ut in tales punitione condigna animadvertamus.

De Excomunicatis.

Excomunicamus & Anathematizamus ante omnia univerſos haereticos, quibuscunque nominibus (cenſeantur), facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem ligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum. Similiter excomunicamus fautores & credentes & receptores ac defenſores haereticorum, & qui tales ſcienter praeſumſerint Eccleſiaſticae tradere ſepulturae. Inhibemus quoque, ne cuiquam perſonae laicae cum judeis vel haereticis publice vel privatim de fide catholica liceat diſputare, alioquin excommunicationis laqueo innodetur. Item prohibemus, ne aliquis ab Haereticis conſolationem aut manus impoſitionem recipiat poena ſub praemiſſa.

Ut fides catholica prosperetur temporibus noſtris, & pravitas haeretica de finibus fidelium exſtirpetur, ſtatuimus ut nullus Beghardus ſeu Begina in conventibus aut locis ſecretis praedicare praeſumat, dum ut frequenter orationes ſeminant, & homines inficiant doctrinis ſuis ſacrilegis & perverſis. Quare firmiter praecipimus, & inviolabiliter

ter obſervari volumus, ut ſiquis errores a Beguinis ſeu Beghardis aut aliquibus aliis *affirmandis* (f. adfirmandos) audierit, nobis aut noſtris officialibus hujusmodi perſonas ſub poena excomunicationis ſtatim intimare procuret.

De Queſtionariis & Litteris extraneorum Judicum.

Ad obviandum etiam maleficiis queſtionariorum, qui ſepe per immoderatam indulgentiarum permulgationem a fidelibus ſimplicibus elemoſynas extorquent, & non nunquam elemoſynarum collectores falſis litteris eosdem decipiunt, diſcurrendo turpiter per tabernas & flagitia perpetrando, pro ut tempore *noſtrum reximus* (f. noſtri regiminis) experti ſumus, Nos ſtatuendo prohibemus omnibus & ſingulis clericis & Presbyteris curatis & non curatis, ne de cetero quoscunque queſtionarios aut elemonſynarum collectores absque noſtris ſpecialibus literis commendatitiis ad praedicandum vel indulgentias promulgandum ſive Elemoſynas colligendum qualitercunque admittat. Quin imo etiam ſi litteras a nobis obtinuerint, Sub nomine alicujus Hoſpitalis, Eccleſiae vel capellae, & Laici conjugati cum talibus mittantur, qui collecturam conduxerunt pro certa ſumma pecuniarum, eosdem pariformiter repellant, niſi oſtendant per authentica documenta, quod eccleſiarum vel hoſpitalium ſint familiares jurati. (videtur aliquid deeſſe) Id decernimus obſervandum circa mandata citationum ſeu edicta quorumque Judicum extraneorum delegatorum aut conſervatorum,

torum, ut nullus ex nobis ſubjectis clericis easdem recipiat, publicet & inſinuet, niſi pariformiter ſuper hujusmodi extraneorum judicum litteris a nobis vel vicario noſtro literas, quae vulgo: vidimus appellantur, habuerit, quibus intelligatur, nos de praemiſſis informatos ut ſic fraudibus *delinquentium* (ſ. *decipientium*) ſimpliciores viam modis omnibus praescindamus.

De ſententia Excomunicationis & Interdicti.

Juxta ſanctorum Patrum ſtatuta excommunicatis nec vivis neque defunctis aliis, prout jura permittunt fuerint denunciati nominatim vox omnibus exemtis & non exemtis debent vitari, nec ex tunc aliquis, qui hoc ſcire tenetur credat ſe per ignorantiam excuſari; cum alias denunciatio publica nec detur ſingulorum auribus inculcari.

Nonnulli tamen excommunicati fiducia abſolutionis extremae claves eccleſiae contemnunt, & tempore ſanitatis nec reſtituere nec confiteri volunt (ſupple. *mandamus*) ut tales in extremis ad reconciliationis Beneficium nullatenus admittantur, niſi ſatisfecerint, vel juratoriam cautionem de ſatis faciendo praeſtiterint, quod ſive moriatur ſive convaleſcat per ſe vel per ſuos, quantum ipſis eſt poſſibile, ſatisfaciant de comiſſo.

Caveant etiam & diligentiſſime attendant univerſi ac ſinguli Praelati, canonici, Eccleſiarum Rectores, Plebani & vice Plebani noſtrae dioeceſis, quod nullum excommunicatum & nominatim de-

denunciatum abſolvant, nec ad divina officia vel ſepulturam eccleſiaſticam admittant, ſed etiam publice admoneant (fr. *amoveat*) & de ſuis eccleſiis, ne interſint divinis officiis, expellant, ſi poenam canonicam, hoc eſt, excommunicationis & irregularitatis voluerint evitare.

Quia Nonnulli ex ſacerdotibus noſtrae Dioeceſis, quibus abſolutio excommunicatorum committitur, formam hujusmodi abſolutionis ab excommunicatione majori ignorant, idcirco, ut omnis in hac parte pariformiter ſe teneant, modum infra ſcriptum obſervabunt. Quotiescunque a Vicario noſtro aut alias fuerit commiſſum ut excommunicatum majori excommunicatione abſolvat, faciat taliter excommunicatum coram ſe proſterni ad veniam poſtulandum, praemittatque pſalmum: Miſerere mei Deus aut alium poenitentialem, cum Kr. Pater noſter. & ℣ ſeq. Salvum fac ſervum tuum Domine Deus meus ſperantem in te. Convertere Domine usque quo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos. Eſto ei Domine (ſupple: *turris*) fortitudinis a facie inimici. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Oratio: Praetende. vel alia pro peccatis quibus dictis abſolvat ſub hac forma: Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur te abſolvere, & ego authoritate in hac parte mihi commiſſa abſolvo te a vinculo excommunicationis majoris in de lato, vel quam incidiſti, vel reſtituo te comunioni fidelium & ſancte Matris Eccleſiae unitati, in nomine P. & F. & S. S. Si autem commit-

mittatur abſolutio a ſententia ſuſpenſionis a divinis, tunc fiat ſub hac forma: Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignetur te abſolvere, & ego authoritate mihi in hac parte conceſſa abſolvo te a ſententia ſuſpenſionis in te lata, & reſtituo te, ut officium tui ordinis ſicut antea exercere poſſis. In nomine P. & F. & S. S. Si autem fuerit ſuſpenſus ab ingreſſu eccleſiae & Divinis, audiatur in praedicta forma: & reſtituo te ad ingreſſum Eccleſiae in nomine P. & F. & S. S. &c.

Quoniam juris apices non omnibus innoteſcunt, ad ulteriorem igitur ſacerdotum inſtructionem & ſalubrem informationem qualiter interdicti tempore ſe gerere debeant & habere, praeſenti declaramus ſtatuto, quod interdicti tempore tam ab homine quam a jure Praelati tam ſani quam infirmi ſunt ad poenitentiae remedium admittendi, niſi fuerint interdicti vel excommunicati ut quorum dolo, culpa, conſilio, favore vel auxilio latum fuerit interdictum, quibus tum viaticum, baptisma parvulorum & poenitentia morientium conceduntur: nullus innungatur, nec tradatur eccleſiaſticae ſepulturae praeter Clericos, qui ſervaverunt interdictum, niſi tales ſint, qui nominatim *fuerunt* (f. *interfuerunt*) hujusmodi ſententia innodati, ſine pulſatione campanarum, ceſſantibus quibuscunque ſolemnitatibus cum ſilentio tumulentur. Inſuper ſacerdotes populum habentes ſine ſcrupulo conſcientiae ſemel in hebdomada viros & mulieres poſſunt ad eccleſias convocare, nec non ipſis exponere verbum Dei, mulieres poſt partum non

inthronizentur, nuptiae non benedicantur, nec aqua benedicta populus aſpergatur ſolemniter: ſingulis diebus in eccleſiis, monaſteriis Miſſae celebrentur, & alia quaevis officia ſicut prius ſubmiſſa tamen voce januis clauſis, omnino quibuslibet excommunicatis & interdictis *concluſis* (ſ. *excluſis*) & omnibus aliis, niſi ſuper hoc privilegium exhibeant ſpeciale, miniſtris altaris duntaxat exceptis, campanis non pulſatis, inſimul tres horas legere poſſunt, ita tamen quod vox eorum extra vel foris eccleſiam nullatenus audiatur. In feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchae, Pentecoſtes, & aſſumtionis B. *Mariae* Virginis a veſperis vigiliarum feſtorum eorundem usque ad veſperam praedictorum incluſive campanae pulſentur, & aperiantur januae Eccleſiarum divinaque officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis & interdictis admiſſis qui cauſam interdicto dederunt, altari nullatenus appropinquent, nec in illis ſepeliantur corpora defunctorum, neque vivis neque ſanis Sacramentum Euchariſtiae illis diebus miniſtretur. Praeterea in Eccleſia conſecrata, vel ſi interdicta aut exſecrata per humanum & injurioſum ſanginem aut ſemine polluta divina nullatenus celebrentur, cum a jure ſint interdictae, ne quisquam in ipſarum contiguis coemeteriis tumuletur.

De Regulis Juris.

Sanctorum Patrum Regulis & ſtatutis quilibet chriſtianus regetur vita, verbis & factis, ut ſciat,

&

& faciat, quod acceptum eſt omnipotenti Deo, qui vivit & regnat in ſaecula ſaeculorum &c.

Ne de publice geſtis quisquam valeat ignorantiam allegare volumus & praeſenti ſtatuto mandamus, ut quilibet collegiatarum ſeu monaſteriorum ſecularium vel regularium civitatis & Dioeceſis noſtrae Ratisp. Praelatus Principalis ſive Decanus, ruralium Decanus ſeriem & ordinem ſtatutorum praedictorum habeat de verbo ad verbum *ante* (f. *poſt*) duos menſes a datis praeſentium, quovis occaſione remota, ipſaque bis in anno in generali convocatione fratribus convocatis ſolemniter praelegat & publicet, ſeu publicari faciat in communi. Si quis vero praedictorum temerarius exſtiterit violator, privationem officii ſe noverit incurſurum.

Ante omnia proteſtamur, quod per haec noſtra ſynodalia ſtatuta non intendimus nec debemus ſtatutis ſacrorum generalium, provincialium ac praedeceſſorum noſtrorum ſynodalium conciliorum derogare, imo ea ſervare, manutenere & debitae exequutioni una cum poenarum adjectione, in quantum nobis poſſibile erit, demandare reſervantes nihilominus nobis poteſtate omnimodam ipſa noſtra ſtatuta in toto vel in parte revocare, variare, addere, minuere, interpretari totiens, quotiens videbitur juxta conſilium juris peritorum & ſapientum expedire &c.

De Clericis peregrinis extra Dioeceſin ordinatis, & non admiſſis.

Statuimus inſuper & ordinamus, quod a datis praeſentium infra tres menſes computando, ſinguli Presbyteri non beneficiati, non admiſſi, extra Dioeceſin ordinati ſeu conſpectui noſtro aut vicarii in ſpiritualibus praeſentant oſtenſuri formatis ſub poena ſuſpenſionis a divinis. Item inhibemus omnibus Praelatis, Plebanis, vice plebanis, quod poſt lapſum trium menſium nullum talem extra Dioeceſin vel ordinatum ſine litteris noſtris aut vicarii noſtri admiſſionem in eccleſiis veſtris ad celebrandum divina officia ſub poena decem florenorum Rhen: admittatis &c.

Item ſtatuimus ſub eadem poena, quod nullus plebanorum amplius recipiat quemcunque religioſum cujuscunque profeſſionis ſive ordinis exſiſtat in ſocium Divinorum ſive capellanum ſine noſtris litteris ſpecialibus.

Datum *Ratisponae* ſeptima die menſis Julii, anno Domini M°. quadringenteſimo ſexageſimo ſexto.

CXX.

DE FESTO CONCEPTIONIS BEATE MARIE VIRGINIS PERAGENDO.

L*udolfus* Dei gratia Mindenſis Eccleſie Epiſcopus ad certitudinem preſencium & futurorum memoriam bone memorie *Burchardus* de

ro-

roſtorpe fratre noſtro carnali quondam noſtro concanonico & Archidiacono in *Oſen* in extremis agente legante capitulo noſtro Mindenſi quadraginta marcas ad conſolationem ſuam patris & matris ipſius ſive ipſorum anniverſarium in vigilia *jacobi* ſimul & ſemel peragendum, ſimiliter feſtum conceptionis beate *Marie* Virginis ſolempniter celebrandum, eisdemque XL. marcis receptis & in alios uſus neceſſarios Eccleſie noſtre converſis tempore *Volquini* predeceſſoris noſtri dum pro neceſſitate & utilitate ipſius noſtre Mindenſis Eccleſie quidam ex Canonicis quidam ex militibus & quidam ex civibus Mindenſibus *Hervordie* in obſtagio jacuiſſent, nos ne pia voluntas decedentium & bona ſua Eccleſiis legantium defraudetur, unum manſum ſitum in Campo Mindenſi qui dicitur *Dalbrede* & unum ortum ſitum in brulone qui fuerat quondam *Heinrici Sprune* civis Mindenſis & unam aream cujusdam caſe ſite in *Ovenſtede* que fuerat *Arnoldi* quondam de *Ovenſtede* noſtro Capitulo, ipſi capitulo volenti & conſentienti pro eisdem XL. marcis donavimus cum proprietate juribus & ſervitutibus quibuscunque, ut de fructibus predictorum bonorum conſolacio & feſtum Conceptionis beate *Marie* ſecundum voluntatem & diſpoſitionem *Bernhardi* fratris noſtri ſupradicti annis ſingulis peragantur. In cujus rei teſtimonium noſtrum & Capituli noſtri ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum Anno Domini M°CCC° in die *Perpetue* virginis &c. 7. Martij.

CXXI.

SUPER XX SOLIDIS ANNUATIM CAPITULO DANDIS DE OFFICIO *RUNNEBERGHE.*

Godefridus Dei gratiâ Mindenſis Eccleſie Epiſcopus dilectis in *Chriſto* Decano & Capitulo ejusdem Eccleſie Mindenſis ſalutem in Domino. Cum penſionem viginti ſolidorum honovereníis monete in villicatione noſtra in *Runneberge* jam dudum a laycis poſſeſſa ab ipſis laycis ad uſum eccleſiaſticum revocaveritis ob reverenciam noſtre majoris Eccleſie proprietatem caſarum ſive arearum in *Runneberge* ſitarum de quibus predicta penſio hactenus colligi conſuevit Capitulo veſtro ac noſtro damus ac tenore preſencium liberaliter aſſignamus perpetuis temporibus poſſidendam. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum & Actum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo primo ipſo die converſionis ſancti *Pauli.* 25. jan.

CXXII.

QUOD CURIA IN *BRUCTORP* ET TRES MANSI IN *BORDERE* REEMI POSSINT. &c.

Coram omnibus hoc ſcriptum viſuris & audituris Ego *johannes* dictus *Gropelingk* famulus in hijs ſcriptis publice recognoſco quod Rdûs pater & Dñus *Godefridus* Mindenſis eccleſie Epiſcopus aut ſucceſſores ipſius curiam in *Bructorp* quam poſſe-

ſedit *Engelbertus* quondam miles dictus de *Bructorp* cum ſuis pertinentijs nec non tres manſos in *Bordere* redimere poterunt pro nonaginta marcis Oſnaburgenſ. a me & a meis heredibus quandocunque etiam per duos annos poſt mortem relicte ipſius Domini *Engelberti* que nunc curie ipſius detinet uſu fructum. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum pro me & pro meis heredibus preſentibus eſt appenſum. Datum Anno Dñi Milleſimo tricenteſimo viceſimo primo feria ſexta proxima ante paſcha. 17. Apr.

CXXIII.

SUPER UNA CURIA IN *DUSHORNE* IMPIGNORATA ECCLESIE IBIDEM SALVA ANNUA PENSIONE.

Honorabilibus viris Dominis ſuis Reverendis Prepoſito Decano totique capitulo eccleſie Mindenſis *Albertus* dictus *Proveſtinge* famulus Reverencie quicquid poterit & honoris. Noverit Veſtra Reverenda honeſtas quod Dominus *johannes* Rector eccleſie in *Dusborne* michi ſepius inſtabat & ſupplicuit propenſius ut ſibi & ſue eccleſie ſupradicte curiam meam cum quadam area caſe ſitam in *Dusborne* quam a vobis in feodo teneo venderem, in qua quidem ſibi & ſue eccleſie utiliores fructus & proventus poſſet facere tandem conjciens & conjectans quia ſic predicta curia in pios uſus verteretur eidem ac eccleſie ſue ſepius dicte memo-

mo-

moratam curiam vendidi, vendicionem dicte curie ratam habere volens dummodo de veſtra voluntate fuerit & conſenſu, proteſtor nichilominus quod integraliter eundem cenſum ſub eadem menſura de bonis que predicta curia pertinet que a vobis in feodo teneo ſolitum dandum ad menſam Dñi Prepoſiti dabo & exponam quod & heredes mei facere tenebuntur & ſic cenſus de predictis bonis dandis non minuetur ſive vileſcet ſed in ſui vigoris quantitate ut prius permanebit. In cujus rei evidens teſtimonium meum ſigillum preſentibus eſt appenſum. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo primo *Rodenborch* ipſo die *Felicis* & *Adaucti* beatorum martirum.

30. Aug.

CXXIV.

SUPER UNO MANSO IN CAMPO MINDENSI.

Hinricus Dei gratia Prepoſitus Eccleſie Mindenſis omnibus preſens ſcriptum viſuris ſeriem cognoſcere rei geſte. Noverint univerſi quod nos recepta reſignatione unius manſi in campo Mindenſi extra valvam codor ſiti ab *Arnoldo* dicto de *Ovenſtede Wolberge* uxore ſua pueris ac juſtis heredibus eorundem quem idem *Arnoldus* a nobis jure tenuerat feodali conſentiente Capitulo noſtro ipſi Capitulo eundem manſum cum proprietate ac omni juris integritate aſſignavimus & tenore

nore preſentium aſſignamus perpetuo poſſidendum nichil nobis juris in eodem manſo vel noſtris ſucceſſoribus reſervantes. In cujus rei teſtimonium noſtrum ac Capituli noſtri ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum ipſo die *Agnetis* Virginis Anno Domini Milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo. 21. jan.

CXXV.

SUPER DECIMA IN *ERDERN.*

Ego *Harbordus* dictus *Dunel* miles omnibus preſentia viſuris & audituris notum facio & preſentibus proteſtor quod *Wedekindus* nobilis Domicellus de *Monte* aut ſui heredes reemere poſſunt a me vel a meis heredibus decimam ſitam in *Erdern* cum omnibus ſuis pertinencijs pro ſeptuaginta marcis Bremenſis argenti infra decem annos continuos ſuccedentes ad quod proteſtandum preſens ſcriptum meo ſigillo una cum ſigillo fratris mei Domini *johannis* dicti *Dunel* duxi roborandum. Et Ego *johannes* miles predictus ad firmiorem proteſtationem premiſſorum meum ſigillum preſentibus eſt appenſum. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo ſecundo feria ſecunda poſt *Jnvocavit.* 1. Mart.

CXXVI.

SUPER CERTIS FEUDALIBUS.

Venerabili in Chriſto Patri ac Dño Dño *Godefrido* Mindenſis Eccleſie Epiſcopo *johannes* nobilis de *Adenoys* paratum animum ad quevis beneplacita faciendi bona feodalia que a vobis & veſtris predeceſſoribus hucusque tenuimus vobis preſentibus reſignamus. Datum *Hamelen* feria tercia poſt Dominicam *Reminiſcere* Anno Domino Milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo.

9. Mart.

CXXVII.

SUPER CERTIS BONIS IN *PEPINGEHUSEN.*

Nos *Heinricus* de *Lippia* Mindenſis Eccleſie Prepoſitus coram omnibus hoc ſcriptum viſuris & audituris lucide proteſtamur, quod proprietatem bonorum in *Pepingehuſen* & ipſa bona cum ſuis juribus omnibus & pertinencijs que a *jordano* dicto *Vos* famulo & Domina *Mechtilde* uxore ſua juſto emptionis titulo comparavimus ipſi Capitulo Mindenſi damus tradimus & aſſignamus per preſentes cum condicionibus hujusmodi infra ſcriptis, ſi videlicet dictum Capitulum ipſi *jordano* quam diu vixerit, corpus unius prebende cum albo pane majore & perna nec non uxori ſue *Mechtildi*

ad

ad vitam ipſius duo plauſtrata annone unum ſiliginis & aliud ordei ex defectu noſtro in vita vel morte noſtra in toto vel in parte contigerit miniſtrare, quamdiu vero nos *Heinricus* Prepoſitus antedictus corpus prebende dicto *jordano* & duo plauſtrata annone uxori ſue *Mechtildi* ut premittitur dederimus vel procuravimus ipſa bonorum proprietas cum ipſis bonis in *Pepingelnuſen* nobis libera remanebit, ſi vero *jordano* & uxori ſue ſepedictis de corpore prebende & annone redditibus per nos fuerit alias ſatisfactum ita quod ipſum capitulum ab impeticione ipſius *jordani* & uxoris ſue prenominate quoad premiſſa quitum dimiſſum fuerit & ſolutum bona ſimiliter ipſa & eorum proprietas in noſtra diſpoſitione conſiſtunt, recognoscimus etiam quod dicta bona & proprietatem eorum quamdiu Capitulum ipſum Mindenſe in obligatione preſcripta permanſerit in nullum alium quocunque caſu venditionis obligationis donationis aut permutationis aliquatenus transferemus. In premiſſorum omnium teſtimonium nos *Heinricus* Prepoſitus ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo ſecundo feria ſecunda proxima poſt Dominicam *Quaſimodo geniti.*

19. Apr.

CXXVIII.

CXXVIII.

SUPER CASTRUM *GHERENBERCH.*

Nos *johannes Weſtfal* miles & *Lutbertus* ejus frater famulus omnibus preſentia viſuris & audituris notum facimus quod Venerabilis Dominus *Godefridus* Mindenſis eccleſie Epiſcopus aut ipſius ſucceſſores a nobis & a noſtris juſtis heredibus poterunt redimere caſtrum *Gerenbergh* pro centum & triginta cum duabus marcis Bremenſis argenti ſed hujusmodi redemptio nobis preintimabitur ad ſpacium unius anni ad quod proteſtandum noſtra ſigilla preſentibus ſunt appenſa. Datum Anno Dñi Milleſimo tricenteſimo viceſimo tercio Die *Philippi* & *jacobi* Apoſtolorum.

1. Maji.

CXXIX.

SUPER CERTIS LITONIBUS.

Ego *Arnoldus* de *Stumpenbyn* famulus recognoſco publice per preſentes quod domicellus *Wydekindus* nobilis advocatus de *Monte* a me & uxore mea *Iden* & a veris heredibus meis ſibi & ſuis heredibus veris pro ſeptem marcis Bremenſis Argenti ponderis Mindenſis *Gherardum* de *Heveren* uxorem ſuam & eorum pueros reemendi quolibet anno obtinuit liberam facultatem quos ab ipſo michi ac *Iden* uxori mee ac omnibus heredibus meis

meis veris pro prefata pecunie quantitate ſumma juſſo emptionis titulo comparavi. In cujus rei teſtimonium meum preſentibus eſt appenſum. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo tertio. in die inventionis ſancte *crucis*.

5. Mai.

CXXX.

UPP DAT GOHRICHTE TO *VRYLDE*.

Ego *Raynerus* de *Wbiterſſen* famulus publice recognoſco preſentibus litteris mei ſigilli munimine ſigillatis quod jurisdictionem meam que Gohrichte dicitur cum omnibus attinentiis ſuis ſuper tres parochias videlicet *Vrilde*, *Dankerdiſſen* & *Lerbeke*, *Witberſen* ſolum excepto, cognatis noſtris *Thiderico* & *johanni* de *Uffelen* & eorum veris heredibus pro ſexdecim marcis Bremenſis argenti vendidi ac dimiſi nec non coram illuſtri Domino Duce ſaxonie reſignavi ita tamen quod annis tribus tranſactis abhinc infra quos michi reemere non licebit ipſam jurisdictionem pro dicta pecunia reemendi habebo plenariam poteſtatem, ſed dum ex tunc reemere voluero hoc eis per annum integrum prenarrabo, quo tranſacto & pecunia refuſa meam jurisdictionem omni contradictione ceſſante liberam rehabebo. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum preſentibus litteris eſt appenſum. Actum & Datum in die ſancti *Bonifacij* An-

no Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo tercio. 3. Maj.

CXXXI.

UPPE DAT GHOGHERICHTE TO *DANKERDISSEN.* &c.

Nos *Thidericus* & *johonnes* fratres de *Uffelen* recognoſcimus per preſentes quod cognatus noſter *Raynerus* de *Whiterſen* tribus annis abhinc transactis & cum hoc etiam pre intimacione unius anni integri premiſſa jurisdictionem que ghogerichte dicitur ſuper tres villas videlicet *Vrilde Dankerdiſſen* & *Lerbecke* reemendi pro ſexdecim marcis Bremenſis Argenti absque contractione qualibet habebit liberam poteſtatem in cujus rei teſtimonium mei *Thiderici* ſigillum quo pariter utimur preſentibus eſt appenſum & nos *johannes* dictus *Schele* Cantor Eccleſie Mindenſis *johannes* de *Lubbeke Rembertus* dictus *Dunel* milites & *johannes* de *Haddenhoſs* famulus teſtes noſtra ſigilla etiam apposuimus ad evidentiam pleniorem. Actum & Datum in die ſancti *Bonifacij* Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo tercio.

5. jun.

CXXXII.

CXXXII.

SUPER EISDEM LITONIBUS.

Nos *Bruninghus* & *Everhardus* fratres dicti de *Alten* & noſtri veri heredes recognoſcimus in hijs ſcriptis quod in hominibus morantibus in parochia *Leveſte* qui pertinent ad obedientiam in *Gherboldeſſen* ad defendendum & tuendum nobis de putatis ab honorabili viro Domino *johanne* dicto *ſchelen* Cantore Mindenſi nichil juris nobis nec noſtris heredibus aſcribimus ſed quamdiu de dicti Domini *johannis* fuerit voluntate ipſos defendamus ac tue amur. In cujus rei teſtimonium nos fratres predicti pro nobis & noſtris heredibus unò ſigillo contamur. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo tertio in die *Barnabe* Apoſtoli.

11. junij.

CXXXIII.

SUPER IIII. MANSIS IN *HULSEDE* ET DECIMA IN *MEYNERDESSEN*.

Reverendo in Chriſto Patri ac Domini Duo ſuo *Gotfrido* Mindenſis Eccleſie Epiſcopo totique capitulo Eccleſie ejuſdem *Lippoldus* Dei gratia Prepoſitus *Ryckeſa* prioriſſa totuſque conventus ſanctimonialium monaſterij in *Bertingehuſen* ordinis beati *Auguſtini* in omnibus debitam reverentiam

tiam & orationes ſuas in chriſto devotas ſincero cum affectu. Ad manus veſtre Paternitatis & reverentie proprietatem decem manſorum in *Heckendorpe* ſitorum de bonis ibidem que commutando vendidimus ſtrenuo militi *Johanni* dicto *Poſch* pro quatuor manſis ſitis in *Hulſede* ac pro decima in *Maynerdeſſen* cujus proprietatem ob reverentiam beatiſſime virginis *Marie* ac ob inſtantiam precum *Johannis* militis predicti nobis reſignando contuliſtis vobis vice verſa preſentibus reſignamus ne cuiquam in ſuo jure aliquid videatur deperire hoc vobis ſub ſigillo noſtri conventus duximus proteſtandum. Datum Anno Domini Milleſimo tricenteſimo viceſimo quarto in craſtino inventionis ſancte *crucis*.

4. Maji.

Bayerische Staatsbibliothek München

ad XXXIX.



Conigen

Digitized by Google

XL.



Digitized by Google

Digitized by Google

ad XL.



Digitized by Google

Digitized by Google

Google

(X 6 C4

Digitized by Google

Digitized by Google